



1. *Bl. 257, 5621.*
2. *ooyl. 257 677 (appendix)*
3. *Angelus Maria Buerini 17*









VINDICIAE
B. REFORMATORUM
ET IMPRIMIS
LUTHERI

CONTRA
VARIAS OBJECTIONES

AB
EMIN. S.R.E. CARDINALI
A. M. QVIRINI

PROPOSITAS
AUCT. SAM. FORMEY

V. D. M. PHIL. PROF. REG. SC. ACAD. BORVSS
SECRET. PERP. AC ACAD. IMPER.
PETROP. SODALIS.



FRANCOFVRTI AD VIADRVM, *h*
APUD JOANNEM CHRISTIAN. KLEYB.

M D C C I.

Non frustra in Veteri Testamento Aegyptiaca servitutis recor-
datio Israelitis toties commendatur, eademque utilitate
Apostoli gentilibus non cessant pristini erroris infelicitatem ob
oculos ponere. Cur non & nobis illo exemplo recolere condemat
beneficia, in repurgando Ecclesiae statu majoribus exhibita & in
nos continuata, **SQUIDEM SERIO CREDIMUS**
BENEFICIA ESSE?

SECKENDORFIUS,
in Præloquio ad Comment. Hist.
& Apologet. de Lutheranism.



L 2,5108

ILLUSTRISSIMO
AC NOBILISSIMO
DOMINO
AB ARNIM,

S. R. M. BOR. A CONSILIIIS
SANCTORIBUS,
ORDINIS JOHANNITICI
EQUITI,

DOMINO HAERE-
DITARIO

in Boyzembourg, Zichow
&c. &c.



AD ALEXANDRIUM
E. R. M. BOR A CONSILII
ORDINE JOHANNIS
BOMBERGII
DITTO



VIR PERILLUSTRIS,
NOBILISSIME
DOMINE,



VINDICIAS purissimæ
doctrinæ, cujus ope mens
nostra splendido lumine
collustrari, corque nostrum
vera sanctimonia imbui
potest **TIBI** offero; **TIBI**, inquam,
utpote in quo exemplar rarissimum soli-
dissimarum cognitionum, & infucatis-
simarum Virtutum contemplor & ad-
miror.

Maximo rerum humanarum detrimento quotidie fit, ut hæc dotes sejunctæ conspiciantur. Illi qui supra vulgus sapere volunt, & in nonnullis revera sapiunt, Virtutis unicam viam fastidiunt, Religionem scilicet, at Religionem puriorem & vere Reformatam. Ex altera parte plurimi, qui & Religionis & Reformatoris fautores dici volunt, vel intimiori cognitione sanctarum harum doctrinarum destituuntur, vel ad eorum normam mores suos non componunt.

Nihil in TE desiderari potest, NOBILISSIME DOMINE, eorum quæ ad veram sapientiam & pietatem faciunt, indeque laus TIBI longe major debetur, quam propter avitum stemma, titulos, dignitates, ac tot alia, quæ Nominis Tui hæreditarium decus augent. At in eo præcipue apparet TE ad summum altioris Sapientiæ, quæ nil aliud est nisi verus Christianismus, apicem pervenisse, quod durissimum afflictæ valetudinis statum tam æquanimiter sustineas.

Ille

Ille infirmitatis ac doloris lectus, cui TE affixum esse vult Divina Providentia, longe vividius radiare mihi videtur quocunque Throno, cum in eo resulgeant mansuetudo, patientia, amor Summi Numinis & proximi, spes firma, vera fiducia in supremum eventuum Rectorem, qui optimis semper rationibus ductus, omnia quæ facit, aut permittit, tandem in bonum eorum qui Ipsum amant, vertit.

Nullus dubito, quin pronò ac benevolo animo testimonium hocce meæ erga TE devotionis sis accepturus. Ex imo corde meo prodeunt, semperque prodibunt Vota pro TE ardentissima. Adsint semper TIBI, & a latere Tuo numquam discedant, vera illa bona, quorum pretium nosti.

*Nam nihil dulcius est bene quam munita
tenere*

*Edita doctrina sapientum, templa serena
Despicere, unde queas alios passimque
videre*

Errare, atque viam palantis querere vitæ.

Hæc quidem immerito de falsa sapientia jactabat Poeta, non tantum Ethnicus, sed & impiorum dogmatum assertor. TU vero meliora edoctus, addis sine dubio :

*Felix qui potuit boni
Fontem visere lucidum.
Felix qui potuit gravis
Terræ solvere vincula.*

Hæc summa est votorum quæ TIBI nuncupat

ILLUSTRISSIMI NO-
MINIS TUI

BEROLINI
d. 3. Jan. MDGCL.

Cultor humillimus
SAMUEL FORMEY.



PRAEFATIO.



Lectorem in atrio diu immorari non opus est. Varia monita, quæ singulis Epistolis, unde hoc Volumen conflatum est, præfixa sunt, satis indicant qua occasione scriptæ sint, & quomodo orta & tractata fuerit Controversia, de qua agitur. Ea tantum hic

) 5

repetam, quæ jam monueram in Præfatione
Versionis Germanicæ meæ ad Emin. Card.
Epistolæ a Clarissimo WIPPELIO, publici
juris factæ.

„Si quod unquam extitit opus in quo ma-
„nus DEI O. M. manifeste se exeruerit, cer-
„tissime opus fuit Beatæ nostræ Reformationis.
„In eo, sicut & in prima Religionis Christianæ
„fundatione, Deus Thesaurum suum in vasi-
„bus terrestribus posuerat, ut gloria supremæ
„ipsius potentiæ tanto melius inclaresceret.
„Sed ex eo ipso homines, quorum mens tene-
„bris occæcata, corque pravis affectibus indu-
„ratum erat, anam ceperunt Reformationis
„spernendæ ac rejiciendæ, iisdem criminatio-
„nibus contra Reformatores utentes, quibus
„Ethnici contra Apostolos: scilicet homines
„esse ex infima plebe ortos, omni auctoritate
„destitutos, qui temere aggrediebantur Eccle-
„siam antiquitate, splendore, opibus, pollen-
„tem. Hæ objectiones initio fervidissime pro-
„pone-

„ponebantur, & verbis maxime contumeliosis
 „efferi solebant. Hodie, cum vivamus in sæ-
 „culo politioribus moribus instructo, cautius
 „proponuntur, sed tamen proponuntur, &
 „ad nauseam usque repetuntur. Frustra per
 „Dei gratiam. Quotiescunque his telis peti-
 „mur, ea facillime retorquemus. Legantur
 „tantum plurima Scripta, quæ sæculo præte-
 „rito exeunte in lucem prodierunt, sub hoc
 „titulo: *Præjudicia* &c. Primus adortus fuerat
 „Reformatos celeberrimus NICOLE, in opere
 „suo: *Préjugés légitimes contre les Calvinistes*.
 „Initio plaudebat sibi ob victoriam reporta-
 „tam; sed triumphus fuit brevior, ejusque
 „lauri fulmine tacti exaruerunt. Invieta & im-
 „mortalia Scripta CLAUDII, JURÆI, PAJO-
 „NIS, qui cæteris palmam fere præripuit, *Præ-*
 „*judicia* nobis contraria *Præjudiciis* contra Ec-
 „clesiam Romanam, longe fortioribus quasi
 „conculcaverant.

„Idem

„Idem fere obtinet in Controversia in
„quam præter spem incidi cum Eminentissimo
„Cardinale Quirino - - - - -

Cætera omitto, quandoquidem, ut jam
dictum est, in monitis extant,



CON-



CONTENTA.

- I. EPISTOLA. Viris Clarissimis in Regiam
Berolinensem Academiam Scientiarum &
Politiorum Litterarum adscitis, A. M. QUI-
RINUS S. R. E. p. 1
- II. RESPONSIO. Eminentissimo S. R. E.
Principi, Cardinali Quirino, &c. &c.
S. FORMEY, R. S. Q. B. Secr. perpet. 6
- III. *Monitum.* 9
Ad Sanctissimum D.N. BENEDICTUM
PP. XIV. EPISTOLA. 10
- IV. Ad Clariff. Virum Samuelem Formejum
EPISTOLA. 31
- V. Ad Emin. Cardinalem Quirinum EPISTO-
LA. 49
- VI. *Mo-*



	Pag.
VI. <i>Monitum.</i>	73
Ad Virum Clariss. Samuelem Formejum	
EPISTOLA.	75
VII. <i>Monitum.</i>	85
Docti Tigurini Anonymi ad S. Formejum	
EPISTOLA.	85
VIII. <i>Monitum.</i>	89
Ad Virum Clariss. Fridericum Ottonem	
Menckenium EPISTOLA.	89
IX. <i>Monitum.</i>	94
S. Formeji ad Em. Card. Quirinum	
EPISTOLA.	94





I.

EPISTOLA*.

VIRIS CLARISSIMIS

IN REGIAM BEROLINENSEM ACADEMI-
AM SCIENTIARUM, ET POLITIORUM
LITERARUM ADSCITIS

ANGELUS MARIA QUIRINUS

S. R. E. CARD. BIBLIOTHECAR. ET EPISC. BRIXIEN.



um superiori mense Majo in Cam-
pidonensi Cœnobio versarer, Vir
Clarissimus Comes Algarottus Ci-
vis meus, mihique jamdiu amicitia

* Præfixa est Decadi Quintæ Epistolarum Latinarum Cardinalis
Quirini a mense Aprili anni 1747. ad mensem Aprilem
anni 1748. exaratarum.

A

tia junctus, eo divertens occasione itineris, quod ex Regia ista Aula Italiam versus susceperat, inter jucundissimos sermones, quos mecum de rebus praesertim literariis commiscuit, quamplura enarravit de Virorum doctissimorum proventu, quo mirifice exultat Berolinensis Scientiarum Academia. Id singulari quidem cum voluptate percipiebam; at genas meas lenis quidam repente tinxit rubor, ut primum scilicet idem mihi retulit, captam a Vobis fuisse de me quoque ei praclarissimo Coetui accensendo deliberationem. Hanc quoniam re ipsa perfectam jam modo nunciarunt vel publica Germaniae folia, quaquaversus de more dispersa, adauctus est rubor iste, eoque in praesens adhuc ita suffundor, ut minus idoneum me sentiam ad grati animi sensus expromendos, qui honori ab humanitate vestra collato pro dignitate respondeant. Verborum igitur, quae omnino me deficiunt, loco, finite, quaeso, Sodales praestantissimi, ut in ejusdem animi testimonium Vobis offeram, inscribamque Decadem V. Latinarum mearum Epistolarum. Haec, quamvis nil aliud ferme contineat, quam polemicas de variis Religionis capitibus lucubrationes, attamen quomodo haud indigna mihi visa sit, quae comiter, & amice ab Academico vestro Collegio excipiat, statim explicabo.

Præter res literarias, amplum sermonibus illis, quos mecum habitos dixi a Comite Algarotto, argumentum quoque præbuit eximia Monarchæ vestri Potentissimi benignitas in Catholicis indulgenda magnifici Templi mole, quæ jam
 A
 isthic


isthæ Regiæ etiam munificentia subsidio construitur. Effecit hujuscemodi narratio, ut amore, quem dudum conceperam, sancti illius operis pro meis quoque viribus adjutandi magis magisque incenderer, adeo ut parum abfuerim, quin ad illius ædificii utilitatem convertere illico statuerem auri pondus, quod Etalensi Sacri mei Ordinis in Bavaria Cœnobio (ad hujus ruinas reparandas, heu quantum miserabiles!) non præparaveram tantum, sed quodammodo re ipsa sacraveram. At quoniam haudquaquam mihi visum est decere, si ad Asceterium illud, sesquidiei tantum iter a Campidona distans, vacuis manibus accederem, fatius duxi Brixiam mecum afferre propensam de Templo pariter isto benemerendi voluntatem. Hanc ipsam factis exhibere jam cœpi; cœpi, inquam, nam pecuniæ summa Marchioni Belloni meo jussu Romæ nuper contradita fuit, sub hac tamen conditione, ut depositi loco ab ipso servetur, donec aliis summis opportune a me contribuendis amplificata idonea evadat singulari cuidam operi in sacra ista Æde perficiendõ, quod ut capefferem, Algarottus ipse suasorem, & impulsorem mihi se præbuerat.

Quorsum hæc? dicentes Vos audire mihi videor. Cui admirationi vestræ quomodo occurrã, accipite. Sacra Ædes ista ex Regia indulgentia Catholicæ Religionis officiis peragendis consurgens, nemo vestrum non videt, quam deceat, ut a Catholicis illis frequentetur, in quibus illibata fidei, & morum integritas eluceat, quosque propterea verbis Petri Apostoli in Ep. I. 2.

compellare quis valeat, *Et vos tanquam lapides vivi coedificamini in domum spiritalem, id est Templum Dei sanctum.* Ei autem integritati illaesa servandae haud mediocriter conducent lucubrationes, quas mea ista Decas complectitur, ut vel eandem Index statim subjungendus Vobis declarabit. Quare nonne iuste adducar ad existimandum, gratiam, quam a Rege primum vestro, deinde ab universa Natione, ac propterea a Vobis quoque sibi conciliavit aedificatio Templi de quo loquor, eandem sibi promereri posse consilium, quod modo capio, ut ea Decas vestro nomine insignita per Catholicorum isthic degentium manus vegetur? Gaudebit (addam hoc etiam) Rex ipse vester Augustissimus, dum videat, studio isto meo effici, ut, *quidquid in Templo manufacto agitur,* (S. Augustini verba usurpabo) *totum in ipsis Catholicis spirituali aedificatione compleatur.* Catholici enim, de quibus vere dici valeat, *Templum Dei sanctum estis Vos,* ii profecto erunt, quorum preces Regi, eiusque Regno salutem, & prosperitatem, quae *in manu Dei est,* facile impetrent, si quidem puris labiis Esdrae illud I. 7. ingeminare nunquam desistant, *Benedictus Dominus Deus, qui dedit hoc in corde Regis, ut glorificaret Dominum Domini.*

Supereff, Sodales jucundissimi, ut quo favore excipiendam a Vobis spero Decadem Athenae vestro nuncupatam, eo pariter prosequi dignemini libellos alios omnes meos, quos recens obtuli publicae isti Bibliothecae, curtam utique suppellectilem, at indubium magnae, quam de Prussiae
literaturae

literaturæ præstantia foveo, opinionis documentum. Jam novi in ea Bibliotheca, ceu pretiosum cimelium, asservari Hebraica Biblia Brixia impressa, quo scilicet Codice Lutherus usus fuit ad Latinam Versionem, quam evulgavit, elaborandam. VESTRUM ERIT, LIBELLOS ILLOS MEOS EVOLVENDO, DIJUDICARE, AN ECCLESIAE ROMANÆ PROCERES CONTARENUS, POLUS, SADOLETUS, QUORUM SCRIPTA, ET GESTA UTRAMQUE IN IISDEM LIBELLIS PAGINAM FACIUNT, EA DOCTRINA, EA VITÆ SANCTIMONIA EXCELLUERINT, QUÆ IPSOS MVLTIO APTIORES, QUAM LUTHERUM, DIVINIS ELOQUIIS INTERPRETANDIS EFFICERENT. Valete.



RESPONSIO.

EMINENTISSIMO S. E. R. PRINCIPI,
CARDINALI QUIRINO,

CET. CET.

SAMUEL FORMEY,

P. P. ET REG. SCIENT. ACAD. BORVSS. SECRÉT. PERS.

Quam uberrimus ex sola Tua in nostram
Academiam cooptatione honoris & gau-
dii proventus redundaret, jam vix ver-
bis efferre poteramus. Gloriam Academicarum
nihil magis promovet, quam splendida eorum
quos Fastis suis inscribunt, Nomina. Splendida
quidem voco, non minus nomina Eruditorum,
qui prima Reipublicæ Litterariæ subsellia occu-
pant, quam Magnatum, qui genere & summis mu-
neribus coruscant. At quam raro fit ut foedus
conspiciatur amicum inter utrumque hunc splen-
dorem, quam rari sunt nantes illi in gurgite vasto
scientiarum, qui præclaros simul titulos et egregia
eruditionis specimina exhibere valeant. Id autem
in TE, Purpuratorum Princeps Eminentissime,
admiratur Orbis qui fama Tua plenus eam uno ore
posteris commendabit. Plurimis intentus, non
minor est Tuus ad singula sensus; nihil est in im-
mense rerum Ecclesiasticarum & Litterarum am-
bitum, tam altum ad quod non attingas, tam re-
con-

conditum quod non detegas, tam obscuratum quod non collustres. Otia Tua sunt docta, peregrinationes eruditæ, colloquia non tantum omni doctrina, sed suavissimo lepore, referta; a latere Tuo numquam discedunt Charites & Musæ. Verum quid aggredior? Et quam Tuis eximiis animi cordisque dotibus, debitis encomiis ornandis, impar sum! Ne igitur quid ferre valeant humeri, quidve recusent, minus sensisse videar, manum de tabula retraho, & ad propositum istius Epistolæ rediens, nomine totius Academiæ nostræ, jam summa lætitia perfusæ, quod TE inter socios suos numeraret, gratias TIBI maximas ago, quod eî Quintam Epistolarum Tuarum Decadem nuncupare dignatus fueris: Quo beneficio se in perpetuum TIBI devinctam agnoscit, Tuæque immortalitatis se ita fieri comitem impense gaudet.

Quæ vero facundo ore in hac nuncupatoria Epistola enarras de Regis nostri Augustissimi, virtutibus in genere, & speciatim de Ejus munificentiæ & indulgentiæ erga Religionem vestram, quæ elucet in Templi vestris usibus destinati adificatione; hæc, inquam, omnia avide legimus, utpote qui TEcum sentiamus nihil splendori Regnorum magis conducere, quam liberum Conscientiæ exercitium; omnibusque qui Christum Dominum & Servatorem agnoscunt, licet cæteroquin in nonnullis dissentiant, sine tyrannide eam libertatem, qua cultum suum palam, & sine persecutionum minis & furore peragant, denegari non posse. Quod utinam alte infigeretur omnium Principum mentibus, ita ut Sapientissimi Regis nostri exem-

plo permoti, moles Templorum adhuc cadibus & incendiis fumantium restaurarent, exules fanatica rabie profligatos revocarent, & Orbi Christiano sempiternam pacem largirentur. In iis enim temporibus versamur, ubi de Contareni, Poli, Sadoletique cum Luthero collatione (HUIC TAMEN NOSTRO B. REFORMATORI MINIME INIQUA, QUI NEMPE INSACRARUMLITTERARUM PERITIA ILLOS LONGE SUPERAVERIT, SICQUE SINE DUBIO DIVINIS ELOQUIIS INTERPRETANDIS APTIOR FUERIT,) ubi, inquam, de iis antiquis Controversiis parum agitur, & quomodo Deus in spiritu & veritate sit colendus ab omnium Communionum Coryphaeis haud difficulter intelligitur.

Servet TE, Eminentissime Princeps, DEUS O. M. per longam annorum seriem salvum & incolumem omnibusque Tuis salutaribus coeptis benignissime annuat.

Dabam BEROLINI, d. XXIV Septemb. MDCCXLVIII.



III.

MONITUM.

Hac Responſione ad Emin. Cardinalem transmiſſa, nihil ab Eo accepi ante diem XVI. Jan. MDCCXLIX. quo cursor publicus ad me detulit Epistolam Italico idiomate Ejus manu exaratam, in quo post quædam alia ita scribebat;

Accompagno por alla presente mia lettera la qui annessa Latina assar lunga, mentre fa risposta alla sola breve parentesi, che lessi nella chiusa del suo gentilissimo foglio.

Ita autem designabat Em. Cardinalis Epistolam ad Papam, quæ hic immediate subsequitur. Paucis vero diebus postea, accepi Epistolam ad me datam, quam Cardinalis prælo subjecit. Cum vero Epistola ad Papam subscripta sit die VII. Januar. MDCCXLIX. Epistola autem ad me die XXX Dec. anni MDCCXLVIII. cur ordine inverso ad me sint transmissæ, nescio; eum tamen ordinem hic servare volui, eas cum Lectoribus meis communicando.

AD

SANCTISSIMUM D. N.

BENEDICTUM

PP. XIV.

EPISTOLA.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
BENEDICTO PP. XIV.

A. M. CARD. QUIRINUS

S. R. E. BIBLIOTHECAR. ET EPISC. BRIXIEN.

Crederes ne, BEATISSIME PATER, Romani, quod animo meoolvebam, itineris festinandi desiderium mihi iniecisse eam ipsam Epistolam ante tres hebdomadas Clementissime ad me datam, qua inter alia significasti, meum ad Almam Urbem adventum opportuniorum futurum, si ad proximi Anni Sancti initia prorogaretur? Quo autem pacto mira res ista contigerit, statim explico. Sustinendam mihi fore in ea celebritate, veluti augurando scripsisti, personam eandem, quam gestam fuisse constat a Cive meo Augustino Cardinali Valerio anno Christi millesimo sexcentesimo. Hæc dum legerem, exterruit me primo, ut verum fatear, illustre

fre admodum ejus Cardinalis nomen, quando-
 quidem statim occurrit memoriæ meæ insigne elo-
 gium, quo inter cæteros a Guidone Cardinali
 Bentivolo ipsum exornatur in hunc modum;
*Quando Romam veni, erat idem Cardinalis (Au-
 gustinus Valerius) ætate provectus, jamque septu-
 agesimum attigerat annum, supervixitque adhuc
 sex annis, præstans forma corporis, morum inte-
 gritate conspicuus, atque venerandus, pectoris ad-
 modum sinceri & candidi Vir, totus Ecclesiasticæ
 vitæ addictus. Erat is quasi unus ex numero
 Episcoporum nascentis Ecclesiæ, junxeratque cum
 pietate summam eruditionem in omni genere lite-
 raturæ, politioris præsertim: scribebat stylo La-
 tino ad perfectum Ciceronis exemplum, sibi que
 famam magnam fecerat librorum doctissimo-
 rum compositione. Exterruit me, inquam, primo
 nomen eximii adeo Cardinalis; at re postea exa-
 ctius perpensa clare conspexi, delatas mihi San-
 ctissimis Tuis illis auguriis Valerii partes eo tan-
 tum spectare, ut ultro mihi pensum sumerem Ju-
 bilei Tui narrationem literis mandandi, quemad-
 modum Valerius Jubileum Clementis VIII. scripto
 Commentario posterorum memoriæ consignave-
 rat. Quare Tuo illo benignissimo Responso in-
 vitasti me quodammodo, ut cito eum ipsum li-
 bellum perlegerem; idque dum agerem, vehe-
 menter mirari mihi contigit Scriptoris diligentiam,
 ac multo magis pietatem, nam ita narrationem
 suam omnem compingit, ut palam liqueat, eius-
 dem calamum, æque ac animum, iis sensibus in-
 caluisse, quæ sanctissima illa celebritas a Christi
 fidelibus*

fidelibus cunctis, praesertim vero a Romanae Ec-
 clesiae Antistite, deposcit. Meam autem illam
 admirationem etsi singulae sibi vindicarent ejusdem
 narrationis partes, nulla tamen fuit, quae oculos
 meos diutius detineret, quam ea, quae profert
 Catalogum, cui hoc fecit initium Valerius, *Et
 hoc loco non alienum a scriptione hujus sacri anni,
 immo opportunum, & utile illis, qui Romam ve-
 nire non potuerunt, videtur commemorare, quan-
 tum a proxime elapso anno Jubilei ad hunc, hoc est
 XXV annorum spatio, exterior creverit cultus,
 ut inde laudetur omnium bonorum Auctor Deus,
 & pietas ac liberalitas Summi Pontificis, S. R. E.
 Cardinalium, & piorum hominum cognoscatur.*
 Atque hic ipse Catalogus, BEATISSIME
 PATER, ille fuit, qui mihi desiderium, quod
 initio dixi, iniecit, prope scilicet capiendi iti-
 neris ad Almam istam Urbem. Quatuor enim
 Romae extant sacra Aedes, quarum seu ornanda-
 rum, seu instaurandarum cura me habet, nimi-
 rum, ut nosti, S. Marci, S. Praxedis, S. Gregorii,
 & S. Alexii. Nosti pariter, quam gravem pecu-
 niae summam in eas omnes impenderim; ac facile
 noscere tandem potuisti (ex religiosissimo more,
 quem servas, Tempa quotidie petendi) primae ex
 quatuor illis jam jam recensitis aditum, vestibulumque
 supremam adhuc manum desiderare, ultimi-
 mam vero earundem multum abesse, ut ejusdem
 constructiones consummati operis formam exhi-
 beant, quod, uti Romae vix quispiam ignorat,
 mala fide rem gesserit Artifex eidem praepositus.
 An non ergo arbitrarer, optime factum fore, si
 cito

cito Almam Urbem appetendo coram omnia, & singula, quæ in iis Ædibus nondum perfecta videntur, pro viribus absolvenda curarem? Ad eandem itaque, BEAT.^{ME} PATER, advolabo, Tuisque Pedibus provolutus, haud diffido, festinati itineris causam me Tibi magis magisque probaturum: Æque Eidem probandum spero consilium, quod cepi, hisce literis inferendi ex libello illo (admodum raro) Catalogum, quem indicavi; quippe qui deserviet inflammandis S. R. E. Cardinalium animis ad præclara ea exempla sectanda, quæ Majores nostri, de augendo divino cultu maxime solliciti, Anni Sancti præsertim tempore, peregrinorum Romam comitantium oculis certatim veluti exhibere consueverunt.

„Et hoc loco non alienum a scriptione hujus
 „sacri anni, immo opportunum, & utile illis, qui
 „Romam venire non potuerunt, videtur commem-
 „morare, quantum a proxime elapso anno Jubilei
 „ad hunc, hoc est XXV annorum spatio exterior
 „creverit cultus, ut inde laudetur omnium bono-
 „rum Auctor Deus, & pietas ac liberalitas Summi
 „Pontificis, S. R. E. Cardinalium, & piorum ho-
 „minum cognoscatur, quam peregrini observare
 „potuerunt in Ecclesia S. Mariæ Transtiberim,
 „quam insignem Ecclesiam ob memoriam illius
 „fontis olei scaturientis, mirandum in modum
 „exornavit Marcus Siticus Cardinalis ab Altaemps,
 „Pii Quarti fororis filius, & in ea Sacellum nobi-
 „lissimum, & pulcherrimum erexit, in quo me-
 „moriam Sacri Concilii Tridentini vivis coloribus
 „exprimendam curavit. Et in Ecclesia Sancti Bar-
 „tholo-

,,tholomæi in Insula, cui ministrant religiosi viri
 ,,sub regula S. Francisci, altare nobile extruxit Ju-
 ,,lius Antonius Cardinalis Sanctæ Severinæ, Epi-
 ,,scopus Prænëstinus major Pœnitentiarius, dum
 ,,titulo illo nominaretur, eandem Ecclesiam ferme
 ,,collabentem restituit, atque etiam exornavit, ut
 ,,ad titulum Sanctæ Mariæ Transiberim translatus
 ,,ea in Ecclesia fecit magna cum pietatis, & Chri-
 ,,stianæ magnificentiæ laude. In Ecclesia Sanctæ
 ,,Susannæ, quam mirandum in modum exornavit
 ,,Hieronymus Cardinalis Rusticutius, Episcopus
 ,,Sabinus, Sanctissimi D. N. Papæ Vicarius, qui
 ,,confessionem ex veteri ritu decentius exornavit,
 ,,ubi plurimorum Sanctorum Martyrum asservan-
 ,,tur Corpora; majus altare columnis, & lapidi-
 ,,bus pretiosis erexit, absidem, & interiores
 ,,Templi parietes picturis pulcherrimis, historiam
 ,,utriusque Susannæ, & Martyris, in cujus hono-
 ,,rem dicata est Ecclesia, & illius, de qua in Sacris
 ,,libris mentio habetur, exprimentibus, ornavit;
 ,,laqueare variis coloribus, & auro fulgenti illu-
 ,,stravit; exteriores lateritios Templi parietes mar-
 ,,more contexit. Et Albertus Cardinalis Archidux
 ,,Austriæ, Rodulphi Romanorum Imperatoris
 ,,Frater, & electus Archiepiscopus Toletanus, Le-
 ,,gatus Portugaliæ, in ejus titulari Ecclesia Sanctæ
 ,,Crucis in Hierusalem, licet absens, maximis in
 ,,negociis, & in Belgarum fortissimorum Galliæ
 ,,populorum gubernatione pro Philippo II, Hi-
 ,,spaniarum Rege Catholico, impeditus ne ad Ur-
 ,,beni accederet, pro ejus tamen eximia pietate
 ,,insigne Sacellum Sanctæ Helenæ Constantini Im-
 ,,peratoris

„peratoris matris, quæ in magna populi Romani
 „veneratione habetur, magnificentius exornavit;
 „is autem cessit amplissimæ Cardinalitiæ dignitati
 „per procuratorem Ferrariæ biennio jam elapso,
 „ut Elisabetham Hispaniarum Infantem, ex Cle-
 „mentis Pontificis dispensatione, uxorem duceret.
 „Et Ecclesiam Sanctæ Praxedis, quo titulo nomi-
 „nari voluit Carolus Cardinalis Borromæus post
 „Cardinalatus sui annos plurimos, qui illam in-
 „stauraverat, & ornaverat, postea Alexander Me-
 „dices Cardinalis Florentinus, nunc Episcopus Al-
 „banus, cui post aliquos successit Titularis, illam
 „Ecclesiam mirifice exornavit; & Templum in via
 „Nomentana vetustate antiquissimum, in honorem
 „Beatæ Agnetis Virginis, & Martyris a Constantia
 „Constantini Imperatoris Filia, ab incurabili ulce-
 „re ad ejus sepulcrum sanata extractum, antiquo-
 „rum ædificiorum ruinis temporis edacitate obtri-
 „tis a coacervata terra pene obrutum, terra amota
 „exornandum suscepit, & viam planam ante illud
 „aperuit magno cum piorum virorum, Cardina-
 „lium imprimis, applausu: parvam etiam Eccle-
 „siam non longe distantem eidem Beatæ Const-
 „antiæ dicatam ornare in animum induxit. Itidem
 „Ecclesiam Sanctæ Pudentianæ Henricus Cardina-
 „lis Caetanus S. R. E. Camerarius, qui mense De-
 „cembri proximo, antequam Porta Sancta aperi-
 „retur, migravit ex hac vita, mirifice exornavit,
 „& Sacellum admodum nobile erexit pretiosis la-
 „pidibus extractum; vocavit etiam pios, & religio-
 „sos viros mira abstinentia, & in laboribus assiduis,
 „& precibus perpetuis sub arcta regula S. Bernardi
 „vitam

„vitam agentes, qui pia ministeria in illa Ecclesia
„præstarent: magnificos etiam sumptus, quos fecit
„Dominicus Cardinalis Pinellus in exornanda Ba-
„silica S. Mariæ Majoris, cujus est Archipresbyter,
„peregrini observabunt. Et in Ecclesia Sanctæ
„Sabinæ egregium ædificavit Sacellum Hierony-
„mus Cardinalis Asculanus in honorem B. Hia-
„cynthi nuper in Sanctorum numerum relati, quem
„Beatissimus Pater Dominicus in id Monasterium
„recepit, & sacro habitu induit, in quo Sacello
„Sacrum fecit Cinerum die præsentibus aliquibus
„ex nobis Cardinalibus Clemens Pontifex. Et
„Marianus Perbenedictus Cardinalis Camerini Ec-
„clesiam Sanctorum Petri, & Marcellini ornavit,
„cum aream ante illam Ecclesiam non minimis
„suis sumptibus aperuit. Et Ecclesiam Sanctæ Ce-
„ciliæ mirum in modum exornavit Paulus Camil-
„lus Cardinalis Sfondratus, Gregorii XIV. Fratris
„filius, qui Ecclesiam illam, cujus titulus inter
„antiquiores existit, curavit, & curat in dies pul-
„chriorem magnis sumptibus efficere: Oratori-
„um, & balneum Sanctæ Virginis, & Martyris
„restituit, cujus corpus sanctissimum paucos dies,
„antequam Porta sancta aperiretur, integrum reper-
„tum est post mille circiter annos, quod tum vene-
„ratus est Beatissimus Pontifex Clemens, & Missam
„celebravit illa in Ecclesia præsentibus Cardinali-
„bus plerisque, solemniter etiam in tantæ Virginis
„honorem, toto Cardinalium Collegio assistente,
„die festo Sanctæ Cecilie ad alendam devotionem
„sibi sacra ministeria celebranda duxit. In Monte
„Aventino est Ecclesia S. Priscæ Virginis, & Mar-
„tyris,

„tyris, quæ rationibus multis, & sumptibus ma-
 „gnis exornata est a Benedicto Cardinale Justinia-
 „no illius tituli: & in monte Cælio Ecclesiam San-
 „ctorum Joannis, & Pauli, dum titulum illum
 „obtinerent, exornarunt Antonius Cardinalis Ca-
 „rafa, & post ipsum Augustinus Cardinalis Cusa-
 „nus: alter Carafa memoriam horum Sanctorum
 „relinquens, & picturis egregiis exprimens, alter
 „Cufanus laqueari valde eleganti Ecclesiam illam
 „decoravit: & Cæsar Cardinalis Baronius Biblio-
 „thecarius Apostolicus Ecclesiam Sanctorum
 „Nerei, & Achilei vetustate pene colapsam re-
 „stauravit, sacras eorundem Beatorum Martyrum
 „reliquias in ea restitui curavit, cum in Ecclesia
 „Sancti Adriani aliquandiu asservatæ fuissent, in
 „propriam Ecclesiam magno ejusdem Cardinalis
 „sumptu, ingenti pompa, solemnî apparatu, uni-
 „verso Clero, & omnium ordinum ecclesiasticis
 „viris comitantibus, tota lætitiâ perfusâ Civitate,
 „translatæ, & honorificentius repositæ sunt. Et
 „Ecclesiam Sanctæ Balbinæ, quam a Sancto Marco
 „Pontifice, tempore Magni Constantini, fuisse
 „ædificatam aliqui ferunt, Pompejus Cardinalis
 „Arignonus hoc sacro anno ornare cepit. Petrus
 „etiam Diaconus Cardinalis Aldobrandinus S.R.E.
 „Camerarius Ecclesiam Sancti Nicolai in carcere,
 „& locum Sancti Pauli Apostoli Martyrio & tri-
 „um fontium, ex trino præcisi capitis saltu erum-
 „pentium, miraculo insignem, vetustate defor-
 „matum, Æde extructa restituit, & magnificen-
 „tius exornavit magnis sumptibus, non minima
 „sua cum laude. Et Bartholomæus Cardinalis Cæ-
 „

„fius Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Porticu, in qua
 „est sacra illa Imago Deiparæ Virginis Angelicis
 „manibus illic collocata, valde exornavit: & inter
 „admodum pia, & magnifica opera Regibus, Prin-
 „cipibus, Ecclesiasticis viris digna sunt sacrorum
 „Templorum ædificationes, quibus Sanctissimæ
 „Trinitati cultus, Beatissimæ Matri, & Reginæ
 „Angelorum, & nostræ, Angelis, & Sanctis Dei
 „honor tribuitur. Viginti autem quinque anno-
 „rum spatio magna cum piorum virorum lætitia
 „hæc templa ædificata sunt, ut omittatur nobilis-
 „sima Ecclesia Sanctissimo Nomini Jesu dicata ab
 „Alexandro Cardinali Farnesio, Episcopo Hosti-
 „ensi, S. R. E. Vicecancellario insignibus virtuti-
 „bus ornato, magnificentissime extracta, sequen-
 „tibus annis magis exornata, cui Ecclesiæ adjun-
 „gendam esse duxit amplam domum, & commo-
 „dam admodum sumptibus magnis pro sua pieta-
 „te, & christiana liberalitate Odoardus Diaconus
 „Cardinalis ejusdem nominis ejus pronepos, qui
 „fuit Alexandri Parmensium Ducis tantarum vir-
 „tutum, & militari disciplina clari, filius, ut Pa-
 „tres Societatis Jesu laboribus multis fessi, quos
 „in audiendis confessionibus, & Verbi Dei præ-
 „dicatione aliis etiam rationibus pro animarum
 „salute suscipiunt, quiescere, & Urbi Romæ com-
 „modius consulere possint: magnificentissimo au-
 „tem, & valde pio illo operi Alexander Cardina-
 „lis adjunxit opera alia plurima, imprimis Tem-
 „plum in via Hostiensi, quod Sancta Maria Scala
 „Cæli nuncupatur, in quo decem millia amplius
 „Corpora Sanctorum Martyrum asservantur, in
 „qua

„qua Ecclesia Sacrum faciente pro animabus De-
 „functorum Beatissimo Patre Bernardo, vidisse
 „Angelos ascendentes scalam quandam, & ani-
 „mas de igne Purgatorii educentes, legitur. In
 „honorem Sancti Hieronymi Ecclesiæ Doctoris
 „eximii ædificavit Templum nobile Sixtus V.
 „Pontifex Maximus, cujus titularis antea fuerat,
 „cui Ecclesiæ Capitulum Canonicorum adunxit:
 „& Alphonsus Cardinalis Gesualdus, nunc Sacri
 „Collegii Decanus, Congregationem Clericorum
 „Regularium in magnificas Picolomineas aedes
 „transfuit, quas illum in usum ut Deo dedicare-
 „tur pia mulier Silvia Picolominea Ducissa Amal-
 „phiæ reliquerat; magnam pecuniam in pium hoc
 „opus in singulos annos Cardinalis assignavit, sa-
 „cerum Templum, præclaram Ecclesiam ædificans
 „in honorem Sancti Andreae Apostoli, benefici-
 „um non minimum in Urbem Romam conse-
 „rens, numerum bonorum illorum Patrum, qui
 „in audiendis confessionibus, & verbi Dei præ-
 „dicatione magnas utilitates afferunt, Urbi augens.
 „Et in regione Transiberina proximis annis po-
 „puli devotione, ob multa miracula, quæ ope-
 „ratus est Dominus Deus in sacra illa Imagine
 „Beatissimæ Virginis de Scala nuncupata, subsidio,
 „& pietate imprimis Ptolomei Gallii Cardinalis
 „Comensis, Episcopi Portuensis, sacrum Tem-
 „plum a fundamentis est ædificatum, in quo mi-
 „nistrant religiosi viri, qui in Ordine Carmelita-
 „norum nominantur Reformati, e quibus prodie-
 „runt boni concionatores verbi Dei. Et Ecclesi-
 „am in honorem Sancti Jacobi Apostoli a funda-
 „mentis

„mentis extruxit Antonius Maria Cardinalis Sal-
 „vatus structura quadam nova, & venusta, qua
 „in ædificatione cum Deo Templum obtulisset,
 „agrôtis etiam, hoc est membris Christi, con-
 „sultum esse voluit, amplam domum ædificans
 „sumptibus magnis, & piis; altare majus in Ec-
 „clesia, & tabernaculum pretiosis lapidibus, &
 „duobus altaribus, in quorum altero est effigies
 „Sancti Jacobi Apostoli valde celebrata; &, ut com-
 „modior esset accessus ad Ecclesiam Sancti Gre-
 „gorii, gradus dilatavit, aream confluenti populo
 „aperuit, sacram Beatissimæ Virginis Imaginem
 „ante annos mille Beatum Gregorium allocutam
 „nobili Sacello exornavit, in Orphanos beneficia
 „multorum generum non desinens conferre, de
 „quo pio loco est optime meritus. In Regione
 „Montium miraculorum multorum occasione ob-
 „tinentem Beatissimæ Matris, quæ latuerat, ædi-
 „ficata est paucorum annorum spatio perpulchra
 „Ecclesia ex eleemosynis multorum, pietate im-
 „primis Alexandri Cardinalis Riarii Templum in
 „honorem Sanctæ Mariæ Consolationis, quod
 „olim fuit erectum ob insignia miracula, quæ
 „operatus est Dominus Deus in Sacra illa Imagine,
 „magnificentius instauratum est. Templum au-
 „tem Beatæ Mariæ semper Virginis in Vallicella
 „dicatum, piorum hominum, & imprimis Petri
 „Donati Cardinalis Cæsii, & ejus Fratris Angeli
 „Cæsii, Episcopi Tudertini, ædificatum est, in
 „quo altare majus honorificentissimum sumptibus
 „suis extruxit pius Cardinalis Federicus Borro-
 „maus, Archiepiscopus Mediolanensis, quo in
 „Templo

„Templo ministrant Patres Congregationis Oratorii, qui singulis diebus sermonibus brevibus priorum hominum animas pascunt.,,

Quoniam igitur ad decoranda Clementini Anni Sancti solemnia magnopere conferre posse existimavit Augustinus Cardinalis Valerius inquit a se Romanorum Templorum censum, quem recitavi, pronum mihi fuit intelligere, valde decere, ut præcipuam quoque partem in Historia Anni Sancti a Te peragendi par occupet census, eorum nimirum Templorum, quæ inter Benedicti XIII. tempora, quo Pontifice celebratum fuit an. MDCCXXV. Jubileum, & tempora BENEDICTI XIV. Jubileum an. MDCCL. celebrantis, insigne quodpiam in Romana Urbe incrementum acceperint ex pia munificentia S.R.E. Cardinalium. Æque facile persensit, magno novi hujusmodi census dehonestamento cessurum, si illorum Templorum decori, cui me consulturum sponderam, multum adhuc deesse peregrini Romam commeantes conspicerent. Hancque ignominiam eo magis mihi esse erubescendam agnosco, quo illustrius in eodem censu comparebunt præclarissima Tua, BEATISS. PATER, promerita, ea scilicet, unde quam plures Basilicæ Romanæ, ac in primis S. Mariæ Majoris, S. Pauli, S. Crucis in Hierusalem, & S. Apollinaris, novitium hac tempestate decus jactantes veluti superbiunt. Nec multum facerent ad meum illum ruborem minuendum sacræ Ædes in Brixiana hac Diocesi haud exiguis a me sumptibus seu ornata, seu instaurata, præsertimque Nova Cathedralis,

& Ecclesia Salesianarum Sanctimonialium (utriusque enim conditorem me passim appellant hujus Urbis cives) non multum, inquam, hæc facerent, nam SANCTITAS TUÅ una simul in Romana ea Tempia, & Bononiensem Cathedralem pias admodum impensas effudit. Itaque nemo in dubium revocaverit, sollicitum meum ad Romanam Urbem adventum unicum labis illius declinanda superesse mihi viam. Non enim sperare mihi liceat, ex mandatis meis, dum tranquillus Brixia refideo, Romam perlatis effici posse, ut adeo impigre, & industrie manus ibidem molientibus operibus, iisque haud minus lubricis, & periculosis, quam sumptuosis admoveatur, ac si præfens post expetita excellentis Architecti consilia novi operis primordiis instarem, nec pedem retraherem, nisi eo opere fervente occinere possem, *Imperio læti parent, & jussa faceffunt.*

At præter Catalogum jam jam recitatum, alium afferri, BEATISSIME PATER, in Valerii Commentario animadverti, qui novos mihi stimulos adderet, Romam nulla interposita mora proficiscendi. Catalogum intelligo quorundam Cardinalium, qui Sæculo, cui finem imposuit Clementini Jubilei solemnitas, imo & Sæculo proxime superiori, Romanam Purpuram emissis in lucem doctrinæ suæ foetibus illustrarunt. Pari etiam Catalogo Jubilei a Te celebrandi Historiam fore exornandam nemo est qui non videat; locumque aliquem posse in eodem nancisci tenues eas lucubrationes, quibus ego conscribendis incumbo, haud deerit fortasse, qui arbitretur.

Quoniam

Quoniam ergo ab aliquot jam annis conficienda Reginaldi Poli Epistolarum Editioni operam navo, ejusque tertium Tomum nuperrime publicavi; ex binis, qui ad eandem absolvendam modo restant, si unum saltem mihi contingeret, antequam Tuus ille Jubileus concludatur, prælo posse subjicere, id mihi utique singularem afferret voluptatem, namque in Catalogo, de quo loquor, absoluta compareret quodammodo ea Editio, quod quintum, qui unice deesset, cito in lucem proditurum facile quisque sibi persuaderet, mihi-que ipsi viderer portum veluti attigisse. Ea autem quarti illius Tomi Editio Romani mei itineris prorsus est indiga; etsi enim in manu habeam Epistolarum, unde ille constandus est, pleraque omnia exempla, attamen absque diligenti eorundem cum Vaticanis Codicibus, ex quibus descripta fuerunt, collatione, eaque meo oculo judice efficienda, religio mihi foret, Typographo illa concredere; quam ipsam diligentiam in prioribus Tomis edendis adhibui. Itaque, æque ac sacrae Aedes S. Marci, & S. Alexii, Romam me advocat Poli Epistolarum Collectio, scilicet ut cito, æque isti, ac illis, manus accedat seu extrema, seu quæ extrema sit propior.

Opera vero pretium erit alterum quoque eum Catalogum meæ huic Epistolæ affui, ut istud etiam ad imitandum exemplum Collegis meis amplissimi Ordinis proponatur; utque ego discam pro nihilo putare literarios meos omnes labores, siquidem cum præstantissimis Operibus, quæ ex Majorum nostrorum divite penu prodierunt, comparentur.

„De præterito etiam Sæculo familiariter lo-
 „quentes commemorabant præstantissimos Viros
 „in omni doctrinarum genere, ex Cardinalium
 „etiam Sacro Collegio fuisse, quorum præclara
 „exstant ingenii, & doctrinæ monumenta, ut
 „Thomæ de Vio Cajetani, Ordinis Prædicatorum
 „insignis Theologi, vitæ innocentia, & optimis
 „libris, quos reliquit, memorabilis; Reginaldi
 „Poli Opus præclarissimum adversus Henricum
 „Angliæ Regem, qui turpissime a Sancta Matre
 „Ecclesia desciverat, pro Summi Pontificis Christi
 „Vicarii auctoritate tuenda; Rossensis itidem Car-
 „dinalis ejusdem nationis, qui cum adversus hæ-
 „reses scripisset, martyrium passus venerandus se-
 „nex ex hac vita migravit in Cælum, Cardinali-
 „tiam dignitatem exornans maxime. In qua na-
 „tione, hoc est Anglica, fuit tertius Cardinalis
 „Gulielmus Alanus, quem vidimus & valde et-
 „iam dileximus, Apostolicæ auctoritatis, & Ca-
 „tholicæ fidei defensor acerrimus; & in Polonia
 „fuit Stanislaus Hofius, Cardinalis Varmiensis,
 „qui contra hæreticos insignes libros conscripsit;
 „& in Italia nominabant Jacobum Sadoletum,
 „Gasparem Contarenum, Petrum Bembum, varia
 „eruditione præstantes Cardinales; Contarenum
 „imprimis cognitione Philosophiæ, qua in scien-
 „tia excelluit. Hoc autem tempore non desunt
 „Cardinales, quos novimus, qui Ecclesiasticam
 „disciplinam magna industria excoluerunt, & præ-
 „claris institutis insignes Ecclesias sibi traditas or-
 „naverunt, ut fecerunt Carolus Borromæus, Ar-
 „chiepiscopus Mediolanensis, & Gabriel Paleottus,
 „,Archie-

„Archiepiscopus Bononiensis, qui egregii Pasto-
 „res animarum, artem artium, curam animarum
 „exemplo, & præclaris voluminibus ad usum re-
 „vocarunt. Inscripta sunt ea volumina, alterum
 „Acta Ecclesiæ Mediolanensis, alterum Archiepi-
 „scopale Bononiense, ut omittantur alia opera,
 „quæ ab ipsis edita sunt. Et eodem tempore fuit
 „Gulielmus Cardinalis Sirletus, tunc Bibliotheca-
 „rius Apostolicus, multiplici, & admiranda eru-
 „ditione, memoria excellens, antiquitatis, & Hi-
 „storix Ecclesiasticæ scientissimus, vitæ integritate,
 „charitate in pauperes, & insigni Bibliotheca,
 „quam reliquit, celebris. Et cum Joannes Tur-
 „recremata juris Canonici scientissimus, & Bessa-
 „rion Constantinopolitanus, homo Græcus, ex-
 „cellenti, & varia doctrina excultus, ab Eugenio
 „Quarto ambo Cardinales creati, quoniam præ-
 „clarissimos libros ediderunt sæculo post annum
 „MCCCC. Exemplo optimo Clemens Viros præ-
 „stantissimos in Sacrum Collegium adscivit. Cum
 „enim opus ingens quadraginta amplius annorum
 „studio, & labore confectum foret (quo in opere
 „Historia Ecclesiastica explicata est dilucide, &
 „copiose, antiquitatis veritas expressa, traditiones
 „plurimæ Ecclesiasticæ in medium prolata, & re-
 „condita quadam eruditio huic sæculo innotuit,
 „Ecclesiasticis Viris Catholicis omnibus, impri-
 „mis exteris) ejusdem insignia novem volumina
 „ad hunc usque diem sunt tradita, quibus miran-
 „dum in modum Apostolica Sedes, S. Mater Ec-
 „clesia Dei recreata est: præclarissimi hujus operis
 „Auctorem, Casarem Baronium, Cardinalem
 B 5 „creavit,

creavit, & Franciscum Manticam, qui multos
 „annos Patavii magna sua cum laude in nobilissimo
 „Gymnasio Jus Civile docuit, & libros admodum
 „utiles, & valde probatos literarum monumentis
 „consignavit. Et in idem Sacrum Collegium
 „cooptavit Robertum Bellarminum, qui de con-
 „troversijs Christianæ fidei insignes libros conscri-
 „psit, & miro ordine, & admirabili doctrina hæ-
 „refes omnes confutavit, exteros plurimos homi-
 „nes in gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ redigens,
 „& Societati Jesu nobilissimæ, & amplissimo Car-
 „dinalium Collegio ornamentum præbens, & no-
 „mini suo magnam laudem, cum sex ante annos
 „Franciscum Toletum concionatorem egregium,
 „qui multa ad usum Ecclesiæ conscripsit, Cardina-
 „lem creasset. Quamquam Cardinales alii pluri-
 „mi sunt, & fuerunt ingenio, judicio, rerum
 „usu, & doctrina varia tum in sacra Theologia,
 „tum Juris Civilis, & Canonici peritia præstantes,
 „& rebus maximis gerendis idonei, qui hoc loco
 „non commemorantur, quia a librorum editione
 „abstinuerunt, cum tamen omni laude sint di-
 „gnissimi, & Sacrum Collegium ornaverint, &
 „ornent.,,

Jam dixi, frivolos, vilesque mihi videri
 meos omnes literarios labores cum iis collatos,
 quorum Catalogum exhibet Valerius Cardinalis.
 Gaudeo tamen quam maxime, singulari cum laude
 in eodem recenseri Cardinalium Poli, Sadoleti,
 Contareni, & Bembi libros, nam ea facit, ut
 ipsius pars aliqua in meam etiam industriam red-
 undet, qua scilicet satago, excellentes margaritas

ex

ex iisdem libris colligere. Tuam autem, BEATISSIME PATER, hanc esse præclarissimam laudem omnes confitentur, ut vel sola doctrina Tuæ monumenta typis excusa amplum Catalogum representent. Eorundem pretium ipsi quoque Heterodoxi agnoscunt, & magnopere deprædicant, gloriaturque inter cæteras ipsorum celebres Bibliothecas Gothana admodum insignis, ut fidem faciunt literæ nuperrime ad me data a supremo ejusdem Præfecto Julio Carolo Schlaegero, Volumina de Servorum Dei Beatificatione &c. in suis armariis se possidere, *Quæ* (ait ille) *in Ducalem Bibliothecam commissam meæ curæ, Beatissimi Patris jussu intulit Antecessor meus.*

Hucusque meam istam Epistolam perduxì, BEATISSIME PATER, certo ratus, ut vidisti, mentionem Cardinalis Valerii a Te factam, dum mihi Romani itineris aggrediendi cupido oportunitatem Anni Sancti commemorasti, unice respicere ad munus eiusdem Anni Historiam describendi, quod ipse suscipere deberem, æque ac susceptum fuisse novimus ab eodem Cardinali Clementis VIII. temporibus. Desipere arrogantia mihi prorsus viderer, quoties putarem vel levem aliquam necessitudinem, & similitudinem intercedere posse inter eundem Cardinalem, & me, siquidem ratio habeatur morum innocentia, vitæque prorsus Ecclesiasticæ, uno verbo, præclarissimarum ejus virtutum, a quarum vel umbra, seu specie longissimis absqum intervallis. Virtutum, inquam; nam patriæ, imo sanguinis, nos utique necit communitio, atque ætatis pariter, quippe
qui

qui proximo Jubileo septuagesimum annum agam, quem ipsum Valerius attigerat Clementis Jubileo. Blandiri mihi praterea possem de aliqua inter utrumque similitudine ex varia literatura, ac politioni praesertim, quam mihi a teneris annis comparare studui, & ex Ciceroniano stylo, quem semper valde adamavi. At quid haec ad virtutum earum praestantiam? Nihil etiam ad eandem Scriptionum mearum copia, & quod harum nonnullas rheda, vel equo vectus confecerim, & alias insuper sub tempus Comitiorum Pontificiorum evulgaverim. Opuseula ad centum & viginti octo conscripsit Valerius, nec calamo pepercit, seu iter agens, seu sacro clausus Conclavi. Quid tandem dicam de pectore admodum sincero, & candido Valerii? Id unum, ad has partes meam me naturam ferme ab incunabulis vocasse, & vocare nunc magis, magisque Cardinalis officium, teste eodem Valerio. Hic in libello, quo praeclassissimam Cardinalis formam delineavit, hortante Antonio Cardinali Carassa, quemque inscripsit S. Carolo Borromaeo, fratris nomine a Pontifice, sacri Senatus Principe, Cardinalem nuncupari scribens, haec addit: *Hac ipsa fratris appellatione invitatus, modestia, & reverentia adhibita sibi licere arbitratur, Vicarium Christi libere monere, si quid in administratione Ecclesiae fieri contra decreta Conciliorum, aut etiam omitti animadvertit. Hujus Apostolicae, & fraternae libertatis exemplum reliquit sanctus Paulus, qui interdum beatissimum Apostolorum Principem, primum Christi Vicarium, libere admodum monuit.*

Hujus-

Hujusemodi officii secum fungendi onere Clemens VIII. liberasse quodammodo Cardinales censendus est ea humanitate, & mansuetudine, quam adhibuisse ipsum in iisdem auscultandis, dum una cum illis de rebus Ecclesiasticis consuleret, narrat Cardinalis Valerius in ipso libello de Jubileo, eum Pontificem ita sacris eorundem Congregationibus interesse solitum fuisse scribens, *quasi unus e Cardinalibus illis esset.* Tu vero, BEATISSIME PATER, parvis benignitatis argumenta non iis tantum exhibes Coetibus, quorum est Cleri Romani dignitatem repraesentare, sed singulis etiam Cardinalibus, siquidem animi sui sensus Tibi aperiant modesta, & filiali libertate. Hanc enim Te nullo pacto dedignari, non aliunde opus habeo testimonia depromere, quam ex meis Tibi ipsi inscriptis lucubrationibus; eas namque & comiter excipere in more habes & ipsarum auctorem omnibus paternae benevolentiae officiis complecti. Largissime in me ista effusa fuisse, praesertim post nuperrimum meum ex Bavarica peregrinatione reditum, norunt Germani, quotquot supplices libellos Apostolico Throno porrigendos manibus meis commendarunt. Verum enim vero non hac una tantum facilitate, & clementia refert nobis SANCTITAS TUA Clementem VIII. sed innumeris aliis virtutibus, inter quas haud postremum certe locum tenet magnificentia erga literas. Haec quantum in Te emineat, prolixo demonstrare possem Commentario; at testem adhibere in praesens mihi sufficiat Vaticanam meae curae concreditam Bibliothecam, Tuo munere

munere multifariam auctam, exornatamque, novissime vero Ottobonianorum Codicum thesauro locupletatam. Denique non una tantum in Te elucet, BEATISSIME PATER, Clementis VIII. virtutes; elucet illæ etiam, quibus Civis Tuus Gregorius XIII. splendidissime micuit, quarumque ut insignem æmulatorem Te futurum ostenderes, ejusdem Annales in lucem edi initio Pontificatus Tui præcepisti. Utinam, qui eximia utriusque Pontificis decora in unum junxisti, Tuus idem Pontificatus tot annos coadunet, quot inter binos eorundem Pontificum Jubileos excurrerunt! Utinam! Utinam!

Brixia die VII. Januarii an. MDCCXLIX.

P. S. Hæc scripseram, BEATISSIME PATER, dum cæli tempestas per aliquot dies rideret, speraremque non ita cito eandem desituram, ac proinde fore, ut ea faveret itineri, quod statim post Epiphaniarum Festum ingredi meditabar. At quoniam repente abscessit ea aëris clementia, quin modo, *tristis hyems squallentia protulit ora*, cogor à proposito & ipse discedere, eidemque implendo tempus magis commodum, & idoneum præstolari. Dolenda mihi admodum est mora ista ex iis causis, quas superius exponendi ansam mihi præbuit Valerii de Jubileo Commentarius, sed præterea vel maxime ex desiderio, quo incendor, de iis rebus Tecum colloquendi, in quibus explicandis vix est, ut linguæ vices charta, manusque valeant peragere.



IV.

AD CLARISSIMUM VIRUM
SAMUELEM
FORMEJUM
REGIÆ SCIENTIARUM, AC LITERARUM
ACADEMIÆ BORUSSICÆ
SECRETARIUM PERPETUUM
EPISTOLA.



VIRO CLARISSIMO
SAMUELI FORMEJO
REGIÆ SCIENTIARUM, AC LITERARUM
ACADEMIÆ BORUSSICÆ SECRETA-
RIO PERPETUO

A. M. CARD. QUIRINUS
S. R. E. BIBLIOTHECAR. ET EPISC. BRIXIEN.

Anni, quem jam jam sumus ingressuri, dum
fausto omine inchoandi rationem ali-
quam studiose perquirens, oculos qua-
quaversus circumvolvo, occurrit mihi augusta
Boruffici Imperii Metropolis, atque in ea primo
quidem Templum, quod Catholicorum hominum
facris peragendis ex Regia indulgentia construitur,
deinde vero Scientiarum Academia, in quam
decora mihi contigit ante paucos menses cooptatio.
In

In utramque igitur arcem istam, Religionis unam, literarum alteram, attentius animadvertens, valde idoneas easdem reputavi, unde faustitatis illius indubia argumenta desumerem; atque una simul Te unum, Vir Clarissime, adeundum censui, cui meum hujuscemodi consilium concrederem. Postquam enim ad Galliam suam remigrare valetudinis causa adactus est Academiae nostrae Praeses, inclytus Maupertuisius, ejus ipse vices geris, perpetui praeterea Secretarii munere insignitus; Tuque ille es, qui eiusdem Academiae nomine testatus mihi nuper per Epistolam fuisti singularem vestrorum hominum erga me benevolentiam, quod modicam quandam pecuniae summam ad Templi illius aedificationem erogassem, quodque Berolinensis Athenaei Bibliothecae exiguam librorum meorum suppellectilem dono obtulisset. Te itaque praeter ceteris compelli a me oportuit, Formeje praestantissime, quem sequestrum facerem eorum officiorum, quae praestando, si fieri possit, ut eandem benevolentiam magis, magisque promerear, equidem arbitror, prosperis me auspiciis annum exordiri. Exilia utique sunt officia, quorum offerendorum mihi copia est; at eorundem tenuitatem animus offerentis, uti confido, commendabit. Contribuetur a me quam citius pecuniae iterum summa, haud certe minor, imo major alia ante sex menses representata, conferenda & ipsa in utilitatem Templi, pro opere scilicet aliquo peculiari, cujus meo tantum sumptu perficiendi authorem mihi fuisse Comitem Algarottum, jam publicis literis edocui. Ad alterum autem officium

cium præstandum in manibus jam habeo tertium Epistolarum Reginaldi Poli Collectionis Tomum, ante paucas dumtaxat hebdomadas in lucem emissum, quo nimirum illatus a me in Bibliothecam vestram librarius census augeatur. Hæc dum egero, mihi cur non sperem, *Auspiciis felix totus ut annus eat?*

Hæc omnia, siquidem benigne a Te excipiantur, utinam efficiant, ut auspicato quoque ingrediar tractationem, quam ut illico suscipiam, extimulat me aculei genus aliquod, quem in animo meo Epistolæ Tuæ, quam superius memoravi, postremâ verba reliquerunt. Collationem, quam ipse adeo urgeo in plerisque meis lucubrationibus, scilicet Poli, Contareni, Sadoleti &c. cum Luthero vestro, castigasse Tibi videris, dum in hunc modum ibidem de ea scribis: *Huic tamen B. Reformatori nostro minime iniqua, qui nempe in Sæcrarum linguarum peritia illos longe superaverit, sicque sine dubio divinis eloquiis interpretandis aptior fuerit.* Demonstrandum igitur sumo, ejuscemodi etiam literaturæ perdoctos fuisse Romanæ Ecclesiæ Proceres illos. Auspiciatissime autem mihi accidere, ut ad hoc argumentum pertractandum accedam, manu vix sublata ex literis ad celeberrimum, eruditissimumque Feuerlinum a me datis, statim intelliges. Inscriptis is mihi *Dissertationem Historico-Literariam de primâ Editione partis Novi Testamenti Græci per Aldum Manutium inter Carmina Gregorii Nazianzeni Venetiis A. MDIV. curata*; initiumque ei fecit, Italiæ gratulando ob primas Sacerorum

rorum Bibliorum Editiones ibidem impressas, singulariter autem Brixiæ meæ, ob totum Hebraicum Codicem an. 1494. in ea excusum, deinde Venetiis, quod in hac Urbe doctissimus Typographus, Aldus Manutius, primus partem aliquam Novi Testamenti Græci arte Typographica descriptam eodem an. 1494. ediderit, nempe initium Evangelii Joannis, & decem post annos priora sex capita historiz ejusdem Evangelii Græce, & Latine publicaverit inter Carmina Gregorii Nazianzeni. Ac demum subjungit: *Sic igitur cum dubio ferme omni careat, Italiam per doctos Judæos prima impressa Biblia Ebraica vel integra, vel ex parte tantum nobis dedisse, quis non in antecessum vero existimet simillimum, ipsos doctos Italos, qui post litteras Græcas e Constantinopoli acceptas & diligentissime cultas, atque cum Latinis, omnibusque bonis litteris in reliqua Europæ regna propagatas eodem Sæculo XV. Typographiam e Germania acceperant, primumque integros libros Græcos arte Typographica pulchre descriptos orbi litterato exhibuerant, Græco etiam Novi Testamenti Codici typis imprimendo primas admovisse manus?*

Sacras vero hujusmodi divitias quemadmodum omnium prima, Feuerlino judice, per orbem litteratum diffudit Italia, ita iisdem cupidissime usos fuisse præ Italis cunctis Romanos Proceres, de quibus est sermo, facile evincunt plura, quæ a me tradita in Diatriba apposita Tomo primo Collectionis Epistolarum Cardinalis Poli operæ pretium puto huc transferre. Inter eosdem Pro-

ceres

ceres principem ferme dixerim locum tenuisse, etsi Romanæ Purpuræ decus ei defuerit ex causa a me suo loco memorata, Joannem Matthæum Gibertum, Veronæ Antistitem. Statuerat hic ea in Urbe divinarum literarum insignem Academiam, quæ ejusmodi foret declarant versus, qui sequuntur, M. Antonio Flaminio, & Galeatio Florimontio, ejusdem Academiae Sodalibus, inscripti ab Hieronymo Fracastorio,

*Dum vos fatidicos vates, arcanaque sensa
Volvitis, atque animum cœlesti nectare alentes,
Alloquiis, magnoque Dei consuescitis ori,
Felices, duce Giberto, Campense Magistro,
Quid dicam miserum me agere? &c.*

Campensis ille, Gibertinae Academiae Magister, quoniam nullam ejus notitiam mihi præberent, quas habemus, nuperrimæ Editiones, etsi ornatissimæ, Operum Fracastorii, Flaminii, ac ipsius Giberti, noscendum se tandem mihi dedit cum in Epist. 706. Erasmi data an. 1524. nam ibidem Professor fuisse dicitur Lovanii Hebraicæ linguæ, tum præterea in Opusculo Venetiis an. 1533. impresso, cui titulus: *Psalmorum omnium juxta Hebraicam veritatem paraphrastica interpretatio, autore Joanne Campensi, publico, cum nasceretur, & absolueretur, Lovanii, Hebraicarum literarum Professore*; eique Opusculo adjuncta videtur, *Succinctissima, & quantum phrasis Hebraica permittit, ad literam proximè accedens, Paraphrasis in Concionem Salomonis Ecclesiastæ*.

per Joannem Campensem ; & tandem in Monito præfixo Conimentariis Jo. Baptistæ Folengii in Psalmos an. 1585. Romæ editis, ubi diserte distinguitur ab Joanne Campano, cujus impius in Trinitatem liber in Romano Indice damnatur.

Tanti Magistri contubernio frui quod in votis magnopere haberet Cardinalis Contarenus, eundem Veronā divellere, & Romam ad se pertrahere curavit, nec frustra, uti fidem faciunt binæ Poli ad ipsum Contarenum Epistolæ. Prima pollicetur, se, quod sibi Contarenus mandaverat, diligenter per literas acturum cum Campensi, *Quem* (inquit) *non dubito, semper in tua potestate futurum, sic enim mihi sæpe de te loquenti recepit, se quandocumque, & quocumque tu vocaveris, advolaturum.* Altera autem Contareno significat, eundem Campensem jam ad se Veronā Patavium accessisse, ut statim recta Romam proficiscatur, ejus hospes in annos futurus, *A quò* (inquit) *miranda audio de eo progressu, quem in libris veteris Testamenti cum Veronensi fecit, qui agrè eum, & tamen libenter, cum ad Te proficisceretur, dimisit.* Romam una cum Campensi profecti sunt Aloysius Priolus, & Petrus Danesius, Latinis, Græcisque literis instructissimi. Sacra Prioli studia pluribus locis collaudandi ansam mihi præstiterunt quamplures seu Poli, seu aliorum Epistolæ. Eorundem vero studiorum causa Danesium e Gallia in Italiam iter suscepisse, testantur, præter binas literas inter Epist. Select. Clar. Vir. eæ, quas scripsit Parisiis Julius Camillus ad Bembum, ut doctum illum hominem Bembo commendaret ; his enim

usus

usus est verbis, *Non mi fatichero di scriver quanto egli sia essercitato nelle lettere Latine, & Greche, & nelle cose di Aristotele, & di altri notabili Autori, massimamente havendo a conversar tal hor con V. S. tanto dirò anchora, lui sol per voler veder Italia, & usar con i chiarissimi ingegni di quella, sopra i quali sommamente adora quel di V. S. esser sene partito, anchorche la Maesta del Re non ne sia bene contenta. Imperoche, questo e nel vero il primo Lettor Regio, & allo stipendio regale più anni ha letto in questo studio di Parigi le cose di Cicerone, & di Demosthene, insieme con quelle di Aristotele, & ha si bon giudizio, che per avventura in queste parti non e il migliore. Julium Camillum, Foro-Juliensem, Epistola hujus Scriptorem, neque humanarum tantum literarum, sed linguarum etiam Orientalium admodum peritum, frequentasse & ipsum Gibertinam Academiam, fidem nobis facit Poli ad Priolum Epistola, in qua ab hoc petens, ut secum Veronam pergeret, aliquot dies cum optimo illo Episcopo consumendi causa, subdit, se non videre, cur iter illud foret recusaturus, præsertim cum tantam voluntatem Camilli salutandi ostenderet, *Quem in itinere (inquit) salutare possumus, & quamlibet diu ejus consuetudine frui, quem si nulla major res impediēt, nullo negotio Veronam perducere posse judico.**

Hæc omnia manifeste demonstrant incredibile studio erga divinas literas Procerum meorum præcordia exarsisse. Ejusdem præterea eximius fuit foetus Psalmorum interpretatio a Flaminio

Veronæ, Giberto hortante, adornata, suadente-
 que Polo in publicam lucem educta. In Prae-
 fatione ejus Operis, quod Paulo III. Pontifici nun-
 cupavit, Flaminius ita loquitur: *Accidit autem*
nuper, ut Reginaldus Polus, Vir literarum, &
omnium virtutum gloria præstantissimus, Veron-
nam veniret ex Gallia revertens, quo Tu illum
simul cum Giberto maximis de rebus legaveras.
Is cum forte has meas lucubrationes inchoatas, &
rudes legisset, a me summopere contendit, ut illas
quam primum emendarem, atque in vulgus ede-
rem, quod eam rem hominibus piis, & religiosis
non inutilem fore judicaret. Polum, dum Pata-
vium, & Venetias incoleret, antequam scilicet
Romam a Paulo III. evocaretur, singularem illum
divinarum literarum amorem animo suo imbibisse
ex intima consuetudine, quæ ipsum devinxit tri-
bus doctissimis Benedictinis Ascetis, nimirum
Marco Cremonensi, Gregorio Cortesio, Muti-
nenfi, Isidoro Clario, Brixiano, innotescit ex
pluribus Poli Epistolis a me suo loco recitatis.
Gregorii, & Marci mentionem conjungunt eâ,
quas ad Card. Contarenum dedit an. 1536. ex agro
Patavino, dum Rovelone (quod prædium ad Mo-
nachos S. Justinæ modo etiam pertinet) versaretur.
Quamdiu (ait) in hoc loco versabor, quem nosti
quam amœnus sit, sed tamen maxime amœnus,
quando duobus his comitatus hortos perambularem,
qui me suo sermone sic pascebant, ut cum Enoch
prorsus, & Helia ambulare mihi visus sim in pa-
radiso Dei. Quoties vero te in nostro sermone
desideravimus, ut felicitatem nostram compleres!

Marcum

Marcum illum, Virum optimum, perfunctum Patavii fuisse munere Pauli Epistolas enarrandi, frequentissimis auditoribus ad ejus Praelectiones confluentibus ob eximiam dicendi vim, & efficaciam mira cum eruditione conjunctam, ediscimus ex Cremona litterata Franc. Arisii, atque ex Biblioth. Benedict. Casin. Mariani Armellini. Gregorii Cortesii in Graecis, Latinisque literis praestantiam commendat inter ceteros Antonius Bruciolus in Dialogis de Philosophia Ethica impressis anno 1537. Venetiis. Eorum unus Venetiis in hortis Monasterii S. Georgii habitus inter Polum, & Theogenum describitur a Bernardo Feliciano, qui his verbis orationi suae initium ponit: *Questa mattina mi era per tempo partito di casa per ire a visitar il Signore Abate di S. Giorgio (Cortesium) vero honore delle sacre lettere Greche, & Latine.* Eundem Cortesium, una cum Gaspare Contareno, censores adhibuerat Flaminius suae in Psalmos explanationis, nam de hac ad Bembum ita scribit in Epistola inter Italic. ad eundem Bemb. recitata, *Quantunque le sententie fossero tollerabili, & tali, quali mi afferma il Clariss. Mr. Gaspero Contarini, e l Rever. D. Gregorio Cortese, non pero son sicuro che l' elocuzione non sia vile, & plebea.* Tandem Isidori Clarii in rem Biblicam labores adeo sunt noti, ut mea commemoratione non indigeant. Ejus autem cum Polo consuetudinem demonstrat ipsius Epistola, qua Polo reditum ex Belgica Legatione in Italiam gratulatur, at una dolet, eundem ad Monasterium Mutinense S. Petri in eo reditu minime divertisse. Aequè carus Cardinali

dinali Contareno fuit idem Ifidorus, eique propterea castigandam, & expoliendam tradidit, & insuper inscripsit Adhortationem ad Concordiam a se compositam adversus eos, qui a communi Ecclesiae sententia discesserant.

Afctarum, quos recensui, seu magisterio, seu familiaritate, Biblicis doctrinis imbutus, adeo assidue studia illa Polus excoluit, ut intermittenda a se minime duxerit vel eo tempore, quo gravissima Legationum munera jussu Pontificis obibat. Anno 1537. in Galliam, & Belgium ablegatus, quo transgressionem in Angliam ad succurrendum lapsis Religionis rebus tentaret, per aliquot menses Cameraci primum, deinde Leodii substitit, quumque non transfretandi tantum occasionem omnem sibi deesse, sed insuper parari vitae suae ab Henrico Rege certum discrimen, omnino intelligeret, nihilominus qua ratione intrepidum pectus periculis omnibus objecit, tranquillam pariter mentem divinis illis studiis applicavit. Christianae pietatis exempla a Polo in Leodiensi domicilio edita describens Aloysius Priolus, testis oculatus, & quo nemo magis eidem intimus, inter caetera haec habet in Epistola ad Ludovicum Beccatellum data: *Il Rmo Legato si ha tandem lasciato exorare di leggerci le Epistole di S. Paolo alternis diebus; ed ha incominciato dalla prima a Timoteo, con somma soddisfazione del Vescovo, e di tutti noi. O quanto desidero e voi, ed il nostro dabbenissimo Vescovo di Fano a questa santissima lezione da questo santissimo uomo con tanta riverenza, ed umilta, e con tanto giudizio letta,*
che

che io non saprei certo desiderar meglio: ne credo che l'amore m'inganni questa volta. Spero dalle micche ch'io ne raccogliero poter vene dar buon saggio, quando al Signor Dio piacerà che ci troviamo insieme. Biennio post, demandatam sibi a Pontifice Hispanicam Legationem Polus administravit, improspere quidem & ipsam, at æque sancte, ac Belgicam illam. Adactus enim morari aliquo tempore Carpentoracti ob maximas difficultates, quibus negotium premebatur, in ea etiam rerum perturbatione cœlestis illius pabuli cupiditate flagravit. Id testatur ipsemet Polus in Epist. ad Contarenum exarata. En ejus verba: *Quanto alli nuovi impedimenti, e vecchi della causa, piacerà a V. S. Reverendissima intender dalle Lettere di Messer Lodovico suo quel pegno d'amore, che ha lasciato appresso di me, nel quale insieme col nostro Priolo ogni di piglio tanto piu consolazione vera e solida, quanto piu io ho occasione per la pratica con li altri, di conoscer la grazia di Dio in loro, & natura & costumi di altri. Noi per la nostra consolazione mutua havemo cominciato a conferire insieme li Salmi di quel grande Propheta e Re, il quale Dio aveva eletto secundum cor suum, ed hoggi eramo arrivati a quel Salmo che comincia: Salvum me fac, Domine, quoniam defecit Sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum. Vana via &c.*

Qui inter tanta rei Christianæ sibi commissæ turbamenta placide vacare nunquam destitit divinis Codicibus versandis, explicandisque, annon in eorundem lectionem sese immerfisse censendus est.

est, dum tranquillæ eidem stationes obtigerunt? Hujuscemodi nactus est Polus provinciæ Viterbiensis administratione a Paulo III. donatus, postque hujus Pontificis mortem incola, & habitator Benedictini Cœnobii in agro isto Brixiano. Quo pacto utrumque illud otium sacris studiis oblectaverit, suis locis jam tradidi, nec omnino breviter. De Viterbiensi actum a me est in Præfatione Tomi III. Epistolarum ejusdem Poli Collectionis. De Brixiano autem in Epistola nona Decadis tertiæ Latinarum mearum Epistolarum, ibi siquidem veluti turmatim in scenam protuli doctissimos Monachos, Folengium, Ugonium, de Othonibus, Bornatum, Massolum, quos omnes seu patrium ipsorum solum, seu domicilium prope Cœnobium illud (Maguzanum vocatur, non valde diffitum a Cœnobio S. Benedicti Mantuæ, ad cuius jus spectat) idoneos reddidit, qui jucundissima Poli consuetudine fruentes, pietati, & studiis eo duce vacarent. Extat Alexii Ugonii ad eundem Epistola, cujus hujusmodi est initium: *Peroptarem equidem, Præsul Clementissime, ut perpetuo mihi daretur uti, fruique posse in Christo jucundissima tua consuetudine, quippe cum nihil utilius accidere possit, quam interesse divinis istis, atque quotidianis tuis disputationibus.* Theophilum Folengium, qui rara eruditione, & singulari pietate Commentaria in Psalmos Davidicos, & in Epistolas Canonicas conscripsit, habitum fuisse a Polo inter suos, nobis conjiciendi ansam præbet illius ad hunc Epistola Commentariis in I. S. Joannis præfixa, cujus postrema hæc sunt verba: *Lucrum id est mihi*

mihî quam optatissimum, si te adeo strictim devincire poterò, ut tu mihî perpetuo patronus sis, ego cliens, seu maris ex servis tuis unus, quod ajunt, emptis de lapide. Modo de tuis unus dicar, triumpho. Paria ferme de reliquis Mōnachis superius nominatis, imo & de aliquot eorundem Sodalibus in medium afferre possẽ; ut tamen brevitati studeam, unum dumtaxat extra Sodalitium illud memorabo Jovitam Rapicium, ortu Brixianum, qui Poli seu consuetudine, seu in sacris literis eruditionis fama pertractus, ipsum sibi in Meccenatem adscivit metricæ suæ Psalmorum interpretationis, quam collaudavi in lib. de Brixiana Liter.

Hiscẽ omnibus hucusque a me depromptis ex prædiolis meis, scilicet ex libellis, quos composui, & evulgavi, amplum adjungerem colophonem, si mihi liberet divinarum literarum peritia, qua excelluerunt Contarenus, Pōlus, Sadoletus (his merito addendus præ ceteris Cardin. Hieronymus Aleander, quem vel ipse Lutherus fassus est eximie calluisse tres linguas, Latinam, Græcam, & Hebraicam) ex horum Scriptionibus luculenta proferre specimina. Abunde haurire ista potis forem non ex eorundem tantum Commentariis ad literas illas interpretandas compositis, sed ex aliis etiam lucubrationibus, imo vel ex mutuis ipsorum Epistolis, Poli præsertim; nam suis adeo multa iste ex Biblica loquela asperfit, ut ea de causa tessellati plerumque operis formam exhibeant. At quoniam, quemadmodum ex Epistolæ in Collectione a me adornata, ita lucubrationes illæ in eorundem Procerum Operibus, facile

cile cuivis obvia esse possunt, a speciminibus illis afferendis abstinebo, ipsorumque loco pro coronide Epistolæ huic imponenda nusquam editas Cardinalis Alexandri Farnesii ad M. Anton. Flaminium literas recitabo, unde innotescet, vel ipsam Pontificiam Pauli III. Aulam, cujus princeps, & arbiter idem Cardinalis, mirifico divinarum literarum amore incaluisse. Flaminium, ut rem gratam faceret Alexandro Farnesio, animum appulisse ad Davidicos Psalmos Latino metro donandos, jam dixi in Commentario de Brixiana Literatura. Eam autem Poesim quum sibi a Flaminio nuncupatam Farnesius perlegisset, hæc ad ipsum literas dedit Romæ IV. Calend. Maji MDXLVI.

„Legi Epistolam tuam, mi Flamini, quam
 „mihi Psalmorum tuorum quasi internuntiam mi-
 „fisti: legi Psalmos ipsos latinis versibus mirabiliter
 „expressos. Illa, quod fuit multis & maxime per-
 „spicuis tui erga me amoris notis insignis, mihi
 „facile declaravit, me a te non vulgarem in mo-
 „dum diligere; nam qui tantam voluntati meæ ob-
 „temperandi præ te cupiditatem tuleris, ut homo
 „tam imbecilla corporis valetudine, quam firma
 „es & vegeta mente, tam multas insomnes noctes
 „egeris, quo mihi e mediis tenebris sempiterna
 „luce dignissimos versus evigilares, planum pro-
 „fecto fecisti, me tibi omnino cum paucis caris-
 „simum esse. De Psalmis vero, Deum ipsum at-
 „testor (unde hausto spiritu te eos cecinisse am-
 „bigi non potest) nihil me adhuc legisse, quod
 „majorem mihi voluptatem, aut admirationem
 „attulerit. Quo enim ingenio, qua prudentia res
 „tam

„tam obscuras illustras? qua dicendi copia, &
 „verius felicitate, qua menti aditu sunt difficilli-
 „ma, ad sensus ipsos prope deducis? Nam car-
 „minis certe suavitate ac varietate, & lectissimo-
 „rum verborum nitore, vel fastidiosissimum quen-
 „quam lectorem & allicere, & vel aliud verbo-
 „rum agere conantem, detinere posse videris.
 „Me certe per hos expiationum anniversariarum
 „dies assidua tui Davidis lectio ita recreavit, ac
 „tantopere ad rerum divinarum contemplationem
 „excitavit, ut quas poetica eloquentia vires ha-
 „beat, jam multo plenius ex meo ipsius sensu,
 „quam ex veterum testimoniis cognoscam. Ac
 „jam, qua sacrosanctis literarum monumentis
 „Regem ipsum ac Vatem summum cantu effecisse
 „proditum est, nemini quantumvis incredulo,
 „cum in carminum tuorum exemplar intueatur,
 „falsa aut incredibilia videri debere judico. So-
 „lutiore tu quidem oratione cum primum Philo-
 „sophiam, tum Psalmos ipsos, ut barbare loqui
 „desinerent, fecisti: In quo certe omnem de te
 „omnium magnam & singularem quandam expe-
 „ctationem superasti. Jam reliquum quod est
 „Psalmorum tam gravi & tam polito carmine si
 „perfeceris, quod per secundam, aut certe tole-
 „rabilem valetudinem, tibi ut liceat, unicui &
 „sempiternum Deum exoratum cupio, non ex-
 „cellentis ingenii solum & doctrinae, sed quantam
 „ante te nemo Religionis & pietatis laudem feret.
 „Ego medius fidius hoc vehementer expeto, cum
 „ut in praesentia siquid nonnunquam successivi sup-
 „petit temporis a gravissimis curis, & molestissi-
 „mis

„mis occupationibus in pulcherrimi operis lectio-
 „ne collocem : tum vero, ut si quando in otii ac
 „tranquillitatis portum me recepero, in tuis tam
 „præclari, ac prope divini ingenii vigiliis, ac tam
 „spectata in me amoris testificatione conquiescam.
 &c.

Æquisnam erit (fidem tuam, Formei, jam imploro) qui, postquam quæcumque a me in hisce literis digesta perlegerit, æquo animo ferre possit innumera illa acerbissima convicia, quæ singulis fere Operum suorum paginis adversus Catholicos evomuit Lutherus vester, quod posthabitis Sacrae Scripturæ purissimis fontibus, ait ille, consecrati unice fuerint inanes fallacias, profanas vocum novitates, inepta, & anilia commenta. Tam iniquæ criminationis dum Lutherum insimulo, absit ut eam ipsam invidiam in eos omnes transferam, quos fata rapuerunt ad lavam ejusdem mentem sequendam. Inter ipsos novi ego hac tempestate nonnullos non ejus tantum labis pueros, sed dignos ea benevolentia, qua doctos quosdam eorundem Majores prosequuti olim sunt Contarenus, Sadoletus, Polus, aliique sanctissimi, sapientissimique Romanae Ecclesiae Optimates. Professi sunt isti hæud raro disertis verbis, se non statim odio habere eos, a quorum pravis opinionibus vehementer dissentirent, imo eorundem ingeniis favere, virtutes colere, studia literarum diligere. Benevolentiam, qua Melanchthonem prosequutus est Sadoletus, abunde compertam nobis facit hujus ad illum Epistola ab Joachimo Camerario recitata in Narratione de ejusdem Melanchthonis rebus,
 & ab

& ab aliis etiam. De Poli cum Rogerio Aschamo familiaritate, & de existimatione, qua dignatus ille est Joannem Sturmium, testatur idem Aschamus in Epist. ad ipsum Sturmium ex Grenovichio data 14. Sept. an. 1555. in qua legitur, *Reverendissimus Cardinalis Polus valde humanus est, & haud scio, an quisquam Italus eloquentiae laude cum eo comparari queat. Me utitur valde familiariter. Hac aestate cum apud eum pranderem, incidens in sermonem de eruditis Viris hujus aetatis, honorificam tui memoriam fecit. Tandem exstat de Contareno in ejus Vita ab illustri Praesule Ludovico Beccatello conscripta hujusmodi testimonium: Giacomo Sturmio, che teneva la Cathedra de' Lutherani in Argentina, & all' hora si trovava in Ratisbona, disse pubblicamente, se tra Conseglieri delli Papi fossero cinque o sei come costui (parlando del Legato) senza dubbio alcuno alli Decreti loro si potria obedire.* Optimatum igitur istorum, quos nemini secundos fuisse constat in studio Catholicæ rei tuendæ, auctoritate munitus, nec ipse committam, ut meæ erga eruditionem vestram comitatis argumenta desideretis; hæcque eo prolixius præstabo, quo justius lucro appono persuasionem, qua recens plerosque vestrum adductos esse comperio ad æquius, & honorificentius, quam antea, existimandum de Catholicorum hominum, singulariterque de Romanorum Antistitum moribus, institutisque.

Hæc autem persuasio vestra, quæ latum me facit, quanto latantior efficeret, si ea ipsa auctoritas satis apud vos ponderis haberet, ut deforma-

mita-

mitatem, & dedecus secessionis vestrae tandem agnosceretis? Putabas, Formei, peregrinos, & hospites in divinarum literarum peritia fuisse, quorum consortium despiciatui habuit Lutherus, Polum, Contarenum, Sadoletum, aliosque horum Collegas; jam vides, jam sentis, quam valde Te opinio illa deceperit. Equidem, crede mihi, asseclarum tuorum non *hoc uno responso animum delusit Apollo*, vester scilicet Lutherus. Apage secessionis illius, & auctoris sui flagitium. Adsit autem *Lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Adsit utinam! Utinam adsit! Vale.

Brixiae die XXX. Decembris an. MDCCXLVIII.



V.

AD EMINENTISSIMUM AC REVE-
RENDISSIMUM

PURPURATUM E. R. PRINCIPEM

ANGELUM MARIAM
CARD. QUIRINUM

SUMMUM BIBLIOTHEC. VATIC. PRÆ-
FECTUM, EPISCOPI BRIXIENSEM,

CET. CET.

EPISTOLA.

EMINENTISSIMO E. R. CARDINALI

A. M. QUIRINO,

EPISCOPO BRIXIENSI, CET. CET.

SAMUEL FORMEY,

REG. SCIENT. AC LITTER. ACAD. BORVSS. SECR. PERP.

Meis sane viribus adeo non confiderem,
ut TECUM, EMINENTISSIME
PRINCEPS, in arenam descendere
auderem, si de ulla alia quaestione agendum foret,
quam de ea circa quam controversia inter nos orta
est. Nec mihi, nec ulli qui statum Litterarum
praesentem novit, dubium esse potest, TE ad
Eruditionis reconditissimæ fastigium pervenisse,
D quod

quod paucissimi attingere valent. Ex ditissimis tuis Scriniis quotidie prodeunt ea doctrinae specimina, quae Nomen tuum Orbi erudito commendant, posterisque semper colendum tradent. Nimirum ergo audaciae notam effugere non possem, si rerum Philosophicarum meditationi unice fere incumbens, tum ut muneri meo satisfaciam, tum etiam, & maxime, ut mentis naturalem propensionem sequar, in alienam messem falcem injicerem, Historiae Ecclesiasticae & Litterariae fontes mihi sufficienter referatos existimarem, ut inde ea haurire possem, quae in comparisonem venirent cum largissimis & copiosissimis rivis, quos indefinenter inde deducis.

Verum enimvero, **PURPURATORUM EMINENTISSIME**, ea quaestio quam leviter tantum haecenus tetigi, **TU** vero nuper ex professo in Epistola, qua me publice compellere dignatus es, ample sub examen revocasti; ea, inquam, quaestio hujusmodi est, quae a quovis Christiano, rationem fidei suae reddere valenti, agitari potest; nec Reformati nomen sibi tribuere conveniret illi, qui Reformationem ab iis Viris, qui tanto operi, Deo adjuvante, pares erant, susceptam fuisse, invictis testimoniis ob omnium oculos ponere nesciret.

Agitur praeterea de rebus facti, quae recenti hominum memoria contigerunt, & quarum Historici omnibus noti, Auctores, quos suspectos reddere non licet, testimonia perhibent omni exceptione majora. His subsidiis fretus, brevem temporum, quibus vixerunt, & illi Ecclesiae Romanae

manæ Proceres, & nostri B. Reformatores, quorum comparationi instituendæ operam damus, delineationem hic tradam; unde ad ipsa nomina utrinque allegata descendens, scopum, ni fallor, meum assequar, Reformationisque originem ab omni criminatione vindicabo.

Cum omnia in Mundo Morali, non minus quam in Mundo Physico, arcto & indivulso vinculo inter se sint connexa, rationesque ultimæ semper fundentur in anterioribus, & ita porro; prima Reformationis incunabula non male repetenda mihi videntur ab urbis Constantinopolis, & Imperii Græci, per Turcas destructione, qua plures Græci doctrina pro eo tempore non vulgari pollentes in fugam dati, Italiam præcipue petierunt, ibique humaniter excepti, Litteras quasi sepultas e tumulo excitarunt, istiusque Epochæ quæ *Instaurationis Litterarum* nomine vulgo venit, veram præbuerunt causam. Primus advenerat Manuel Chrysoloras; „cujus, (*utar hic ipsis do-*
 „*ctissimi BRUCKERI * verbis*) vestigia præ-

„serunt Græci alii, quos, Constantinopoli a Tur-

„cis anno CIO CCCCLIII capta, furor hostis pa-

„tria ejecerat, & in Italiam disjecerat. Ita enim,

„dum cum Musis suis sedes alio sub sole calentes

„quærebant, in Occidentis regionibus, præcipue

„vero in Italia locum exilii tutum invenerunt;

„cumque honos jam tum elegantioribus literis ha-

„beri coepisset, in Academiis confederunt, &

„cum reliqua literatura Philosophiam quoque domi

„cultam docuerunt. In quibus recipiendis, pa-

D 2

„rando

* Hist. Phil. T. IV. p. 6.

„randoque meliori literaturæ, ipsique philosophiæ
 „paulo latiori vultu emergenti asylo, diligentem
 „atque valde laudabilem operam posuerunt prin-
 „cipes Italiæ, de promovenda eruditione inter se
 „honestissima æmulatione contendentes.,,

Hæc prima Reformationis semina, & stamina,
 quæ maximum & velocissimum incrementum ac-
 ceperunt. Omnium oculi, qui per tenebras sæ-
 culorum plumbeorum & ferreorum plusquam Cim-
 merias tamdiu caligaverant, tali affulgente luce,
 parvo tempore aperti sunt, miserumque Ecclesia
 statum haud difficulter agnoverunt. Hinc orta
 sunt plura diffidia intestina, quibus Ecclesia Occi-
 dentis jam lacerata fuerat, antequam Lutheri præ-
 dicatio Reformationis opus incepisset. Nihil vero
 hic in medium afferre est animus, quod non sit
 in confesso, & vestrorum imprimis Auctorum te-
 stimoniis confirmari queat. Hinc TIBI, EMI-
 NENTISSIME PRINCEPS, modo præju-
 dicia exulent, vel aliquantisper seponantur, evi-
 denter constabit, Secessionem Lutheranam mi-
 nime *flagitium* dici posse, imo flagitiis innumeris
 vitandis, ac abolendis, unicum remedium fuisse.

Romanorum Pontificum superbia, tyrannis,
 extorsiones, contemptus antiquæ disciplinæ, cujus
 Canones aperte violabant, & innumeri alii excessus,
 eorum auctoritatem, omnibus quos lucri cupido,
 vel superstitionis cæcitas, non invaserat, prorsus
 odiosam reddiderat. Manebat tantum mentibus
 infixæ veneratio quædam sedis Romanæ, per fe-
 riem aliquot sæculorum transmissa, qua ejus de-
 pravatio quasi velo obtegebatur; timebant præterea
 sapien-

fapientiores mala, quibus Schismata ansam præbent; reformidabant alii potentiam Ecclesiasticam, gravissimo jugo similem, & fulmina excommunicationum, nondum cassa & irrita, vibrantem; tandem ignorantia fere totius Cleri ex una parte, & ex alia pusillanimitas eorum qui veritatis aliquam notitiam acquisiverant, omnia quasi in suspensio tenebant. Nihilominus fermentum jam in massa latebat, taciteque & Principes & Populos, longa ac inutili patientia defatigatos, ad nova molienda præparabat.

Convocatio Conciliorum Constantiensis ac Basiliensis, ad Capituli ac Membrorum Reformationem expresse facta, non modo Schismatis semina non suffocaverat; verum hæc ipsa Concilia novarum divisionum causæ evaserant, propter spreta eorum a Papis decreta, unde acerrimæ per totam Europam resonabant querelæ. Testis audiatur *Martinus Meyerus*, Moguntinus Cancellarius, ad *Æneam Sylvium*, Cardinalis dignitate ornatum, Epistolam gratulatoriam die ult. Apr. 1457 datam, scribens, ubi in hæc verba erumpit*: „Nunc vero „quasi ex somno excitati optimates nostri, quibus „remediis obviam pergant, cogitare coeperunt, „jugumque prorsus excutere, & se in pristinam „vindicare libertatem decreverunt.„ Audiatur & ipse Pontifex Calixtus II. in Rescripto ad Fridericum Imperatorem, eodem die, stylo Sylvii dato **. Nam licet potentiam Papalem ibi im-

D 3

modice

* apud *Seckendorff*. L. I. Sect. II. §. 2. add. 4.** *Ibid.*

modice extollat, non dubitans his verbis uti : *Quam liberrima sit Apostolicæ sedis autoritas, nullisque debeat factionum vinculis coerceri* &c. nihilominus Confessionem apertam de plurimis abufibus præbet, excufationemque in variis caufis, humanæ infirmitati tribuendis, quærit. Sed, ne plura colligam, quid melius fententiam, eo tempore de fede Romana ubique receptam, explicare valet, quam nummus ille infignis, tunc a Rege virtute & pietate infigni cufus, cum hac infcriptione, *Perdam Babylonis nomen* *.

Ipfâ Italia, quamvis vexationibus & vitæ inordinatæ Papparum affuefacta, jam iis corrigendis operam ponebat, veræque indignationis publica proferebat testimonia. Mortuo nempe *Alexandro VI.* tot criminibus foedato, ut horrori fuis, non minus quam alienis, fuiffet, cum Pius III. in ejus locum diebus non ultra XXX. dies regnaffet, Cardinales denuo congregati, de novo Papa eligendo cogitare noluerunt, quin prius Articulos Reformationis condidiffent, quorum obfervatio a toto facro Collegio juramento confirmaretur. Inter hos Articulos unus extabat, quo ftatuebatur Concilium generale, *AD REFORMANDAM ECCLESIAM*, a Papa intra biennium convocandum effe. Julius II. thiara redimitus, juramentum a feipfo Cardinali præftitum, iteravit, idque verbis ligandæ confcientiæ aptiffimis **, quorum tamen pofttea nullam habuit rationem.

* Vid. *Thuan.* L. I. p. II.

** Ipfâ verba adfcribere hic non pigebit : *Premiffa omnia & fin.*

nem. Nam per septem annos integros, nec de Concilio, nec de Reformatione, quicquam audire voluit; donec Cardinales ipsi infensi, sub auctoritate Maximiliani I. & Ludovici XII. Concilium Pisanum convocaverunt, semper hoc consilio, vel saltem sub hac specie, ut *Ecclesia reformaretur, in capite & in membris, in fide & in moribus*. Diligentius acta & eventum istius Concilii non evolvam; omnem hunc apparatus in funum abiisse constat, Pontifice Julio in gratiam redeunte cum Imperatore & Rege Galliarum, quos artibus politicis ad suas partes allexerat. Pisanum Concilium excepit Lateranense, sub Julio inchoatum, & sub Leone continuatum. Unius tantum Historici non spernendi iudicium de hoc Concilio adferam, his verbis expressum: „Numquam auctiores ritus & caeremonias quam in Lateranensi Concilio visas fuisse, sed Pontificem cum suis Prælatiis, mentem alienam, & aversam ab ejusmodi sacris, habuisse. *Guiccard. ap. Richer.*

Uno verbo, omnia hujus temporis scripta necessitatem, & vividum Reformationis desiderium, evincunt. Vaticanium *Francisci de Paula*, Fundatoris ordinis Monachorum, quos *Minimos* vocant, fide *Richerii* relatum, notari meretur. Ludovicæ enim Sabaudæ, Francisci Regis matri, pridie ante mortem suam prædixisse fertur Monachus,

D 4

chus,

& singula promitto, voveo & juro, observare & adimplere in omnibus, & per omnia, pure & simpliciter, & bona fide, realiter & cum effectu perjurii & anathematis, a quibus nec me ipsum absolvam, nec alicui absolutionem committam. Ita me Deus adjuvet, & hæc Dei Evangelia.

chus, regnaturum filium ejus in Gallia, cæterosque Sæculi sui Principes, gloria, opibus & felicitate longe superaturum, „si modo ad Ecclesiæ „emendationem animum adjiceret; contra fore „infortunatissimum, si Ecclesiæ reformandæ rationem detrectaret; quæ, ait, beati viri monita, si „ad res a Francisco gestas referantur, pro divino „habebuntur Oraculo., Non multum absimile est Savanarolæ responsum Cominæo datum, cum de Caroli VIII. Regis reditu ex Italia in Galliam eum consulisset: immitia enim Regi fata prædixit, *quia officio suo in Italia*, (quam victricis terruerat, partimque subegerat, exercitu) *non satisfecisset, nec statum ecclesiasticum in ordinem reposuisset* *.

Hæc erat Orbis Christiani facies, omnia summo nisu ad mutationem sic tendebant, cum Pontifex Leo X. mensuram cumulavit nundinis Indulgentiarum, quas celebrari jussit, & in quibus ii visi sunt abusus & excessus, quos nemo diffiteri audeat. Brevitati studens, hæc omnia levi tantum penicillo adumbro. Sufficiet causas generales Reformationis adstruxisse ex ipso intuitu Religionis, tunc ubivis mirum & miserum in modum deturpata. His in circumstantiis oritur Lutherus, veritatis præco, qui omnibus ad tantum opus requisitis dotibus instructus, fidelique plurium eximiorum virorum ope adjutus, errori & superstitioni bellum justum indixit, lampademque sub modio occultatam in summo fastigio posuit, unde paulatim a maxima Europæ parte felicissimo eventu inspecta fuit.

Ut

* Vid. *Comin.* & *Wolff.* in *memorab.* T. I. f. 927.

Ut ad initium igitur totius nostræ Controversiæ nunc redeam, ea suam ducit originem ab his verbis, in fine Epistolæ tuæ nuncupatoriæ ad Academiam Borussicam adscriptis; *an Ecclesiæ Romanæ Proceres, Contarenus, Polus, Sadoletus . . . ea doctrina, ea vitæ sanctimonia excelluerint, quæ ipsos multo aptiores quam Lutherum, divinis eloquiis interpretandis efficerent.* In responso ad TE, EMINENTISSIME PRINCEPS, d. 24. Sept. MDCCXLVIII. dato, agens tantum transitorie de horum Cardinalium & Lutheri collatione, hac brevi parenthesi usus fueram; (*huic tamen nostro B. Reformatori minime iniqua, qui nempe in Sacrarum Litterarum peritia, illos longe superaverit, sicque sine dubio divinis eloquiis interpretandis aptior fuerit.*) Ubi de Lutheri tantum doctrina agens, vitæ morumque integritatem omiseram, ut pote qui tuum contra nos aculeum prorsus tunc retundere animo non volverem. At cum TIBI deinde, parenthesi meæ amplam Epistolam, imo duas opponere visum fuerit, (nam idem argumentum in Epistola d. 7. Januarii MDCCXLIX. ad SS. Papam Benedictum XIV. tractas,) officio meo deesse mihi viderer, si alteram objectionis tuæ partem intactam relinquerem, & Lutheri mores, non minus quam doctrinam, non vindicarem. Id autem optime fieri potest, tum absolute, tum relative; id est, considerando Lutheri gesta, vel ea cum vita Procerum in Ecclesia Romana tunc degentium, comparando.

Licet calumnia in vitam & mores Lutheri totum suum virus effuderit, nihil quod cum vera probitate & Religionis sincera professione consistere non possit, adversus eum probare valuit. Ex defectibus tam studiose observatis, & cumulatis, nullum testimoniis fide dignis stabiliverunt Adversarii præter excandescenciam, de qua non semel ipse Lutherus questus, & jocandi nimiam quandam libertatem. Hæc autem eo tempore omnibus Monachis familiaris erat, qui liberioribus, imo scurrilibus dictis, concionibus suis gratiam quærebant, imprimis in Festo Paschali, in quo solenne erat Auditores ad risum movere. Intrepido erat animo, sed non feroci; vanitatis & ambitionis, cum tot occasiones haberet, nullum dedit specimen; forte quam semel nactus erat, contentus, aliisque omnibus, potius quam sibi prospiciens; astutiæ adeo expers, ut aperta animi simplicitate, ac credulitate, in contrarium errorem impegisse videri possit. Ingratum nemo dixerit, qui, ut constat, fere cuiquam nihil debebat, & generoso animi motu omnibus benefaciebat, etiam cum damno rei familiaris & supra vires. Quam cito placabilis fuerit, Tezelii, Caroloistadii, & aliorum exemplum ostendit. Comestiones invitus adiit, sæpe de eorum incommodo questus, vili & parco cibo gaudebat. Continentiæ sat magnum dedit documentum, dilato ad quadragesimum secundum ætatis annum conjugio.

Hanc fidam vitæ Lutheri imaginem, post Seckendorffium*, confidenter luci publicæ expono,
certus

* P. 22.

certus nullis illam umbris obscurari posse. Ea vero occasione querelæ tuæ EMIN. DOMIN. p. XVIII. Epistolæ ad me datæ, respondere opportunum judico; quod scilicet *acerbissima convicia singulis fere Operum suorum paginis, adversus Catholicos evomuerit Lutherus*. Hujus acerbioris styli jam causam quæsi, & excusationem invenio, in genio horum temporum minus urbano, & a nostri sæculi indole longe alieno. Sicut nemo jure miratur Achillem, in Iliade, atrocissimis conviciis Agamemnonem prosequi, & in hæc verba, nunc bajulo digna, erumpere:

* Οἴνοβαρῆς, κυνὸς ἄμματ' ἔχων, κραδίηνδ' ἐλάφοιο;

Ita tempore Lutheri, ea quæ nunc aures nostras delicatiores lædunt, usu vulgari obtinebant, hæcque tela utrinque perpetuo mittebantur. Ast, quod magis adhuc urgeo, Lutherus Monachos quidem, eorumque deliramenta, indefinenter & vehementissime profligavit, & in genere superstitionem, tunc in folio sedentem, vere detestatus est: viros autem doctos, probos, reverentia dignos, (licet tunc *rari fuerint nantes in gurgite vasto*), tales, inquam, viros ubicunque eos nactus est, & in ipsa Ecclesia Romana, coluit, atque ab omni contumeliæ genere erga eos abstinuit. Quomodo autem ipsi vitio verti possent ejus scommata in Monachismum, tunc omnium derisioni, & publico opprobrio expositum, quidve fortius proferre potuit, quam quod ab auctoribus Catholicis millies dictum, & repetitum fuit? Ostendatur

* ΙΑΙΑΔ. Α. 225.

tur loca, ubi viros honore dignos despexerit, & dictis scriptisve læserit Lutherus, manusque dabitur victas. In Ecclesiam vero Romanam in genere, Curiamque Pontificiam speciatim, ea forsitan ex ejus ore, aut calamo, fluxerunt, quæ mitius enunciari potuissent; verum quoties & ipse immerito vexatus, calumniisque nefandis quasi confossus est, & quis in hostes tam favos tela non retorsisset?

Semper ego auditor, nunquam reponam?

Talis Lutherus in se, ut ita loquar, consideratus: nunc conferatur cum Proceribus Ecclesiæ Rom. ipsi coævis, inspiciantur mores Cardinalium Aulæ Leonis X. Ne vero odiosis, & spurcis facinoribus utramque istius tractationis paginam repleam, legatur tantum *Varillasii Historia Florentina*. Nam licet hic auctor sublestæ sit fidei, cum tamen stet a partibus Catholicorum, vix ab iis, horum factorum respectu, recusari potest; & præterea nihil refert, in quo non consentiat cum aliis Historicis authenticis. Ibi videmus talem fuisse corruptionem Sæculi & Cleri, ut vix major excogitari possit. Ibi videmus Leonem, spectaculorum amantissimum, theatricis ludis unice fere oblectatum fuisse, & inter primas repræsentationes fuisse *Pœnulum* Plauti per biduum actum, sumtu immenso, & gestibus turpissimis, qui tamen nemini scandalo fuerunt. Quid referre non possem de corruptis Cardinalium moribus ad Pontificiarum venationum, aliarumque voluptatum ingenium? Si nonnulli evaserunt ex tanta lue, si Contarenius,

tarenus, Sadoletus, Polus, erepti sunt ex medio talis perversitatis, quis sustinebit hos homines loco totius Ecclesiæ nobis objicere, & paleam in oculo Reformationis notando, trabem totum oculum Ecclesiæ R. occupantem diffimulare? Sane Lutherus collatus, non tantum Cardinalibus, sed ipsi Pontifici, *longe aptior videtur vitæ sanctimonia, divinis eloquiis interpretandis.* In Leone ea inveniuntur, quæ conciliari non possunt cum persona, quæ Vicarium Christi in terris, Caput & Sponsium Ecclesiæ, Veritatis Oraculum, Summumque & divinum hæresium Judicem, repræsentare debebat. Contra, si qui fuere Lutheri navi, multo minus nocebunt reformationi Ecclesiarum, quæ illum non pro capite, aut Patriarcha, immo ne unius quidem vel oppidi, vel pagi, parochi agnovērunt, sed ut vocem clamantis in deserto, & pœnitentiam atque Evangelium prædicantem susceperunt, eatenus illi obsecuti, quatenus ejus dogmata cum supremi Pastoris Jesu Christi voce concordare, pro conscientia sua, quisque judicabant.

Nunc ad scientiam eruditionemque, tum Cardinalium, tum Lutheri deveniamus; unde nos non minus feliciter, ut spero, extricabimus.

Si quosdam Ecclesiæ R. Scriptores audiamus, Lutherus portentum fuit scientiæ & eloquentiæ; quod fastuose exaggeravit pro more suo *Maimburgius*, ut inde erueret, his dotibus & artibus, non vero vi veritatis, Lutheri concionibus & scriptis tantam fuisse insitam efficaciam. Sed *ne quid nimis.* Lutherus doctus, vere doctus, doctrina minime vulgari, & ad opus ab ipso susceptum

ptum plane idonea, instructus fuit; id sufficit scopo nostro, nec probatu difficile est. Extant in omnium manibus ejus opera, nostræ assertionis perennia documenta. Eorum notitiam sine molestia acquirere licet, in excerptis ab *Ellia Pinæo* suppeditatis, quæ his verbis claudit, quorum vim & pondus in ore scriptoris adversæ partis nemo non agnoscat. *Il avoit fait d' assés bonnes etudes. Il savoit les Langues, Hebraique & Greque. Il escrivoit assés bien en Latin, & tres purement en Allemand. Il avoit bien lu l' Ecriture Sainte, & mediocrement les Peres, & savoit assés d' antiquités pour son tems. - - - Il avoit de l' esprit, des principes, & une sorte d' eloquence qui avoit sa force**. Cur vero mihi non liceret Lutheri encomia ex ore ejus fautorum accipere, sicut TU, EMINENTISSIME DOMINE, Tuos Cardinales testimoniis auctorum tuæ Communionis exornas? Tunc vera nubes Testium adesset, & haberemus *pares aquilas, & pila minantia pilis*.

Quod vero imprimis attinet ad ejus studia Biblica, de quibus maxime inter nos agitur, eum tam sedulam in iis operam impendisse constat, ut per dies integros a victu fere abstinens, & cætera omnia posthabens, Divinarum Litterarum meditationi incumberet. Nec fructu caruerunt ejus labores ac vigiliæ: multum enim illi debent omnes, quibus S. Scripturæ studium cordi est. Adornavit Versionem Biblicam, quæ hodie adhuc maximo pretio habetur, & quidem jure. Commentaria

* Dupin, *Biblioth. des Auteurs separés de la Comm. de Rome*, T.I. p.73.

taria scripsit, quorum analysim, paucis quidem verbis, sed cum laudibus debitis, præbet idem *Ellias Pinæus*, in opere jam a nobis citato*. *Il y a*, inquit, *de l' erudition & de la pieté. Quoi- qu'il ait recours au Texte Hebreu, il blame fort ceux qui s' attachent aux minuties de la Grammaire & des Rabbins.* Et paulo inferius, agens de Commentariis Lutheri & Melanchthonis, simul editis, addit: *Ces Commentaires, comme les precedens, contiennent beaucoup de maximes de morale fort utiles. Il auroit été à souhaiter que ces deux grands hommes, capables de rendre de grands services à l' Eglise, ne se fussent pas égarés &c.*

Volumen, non Epistolam, ederem, si profundarum Lutheri in omni Theologicarum & Sacrarum cognitionum genere, lucubrationum specimen proferre vellem. Verum id in genere demonstrandum facile sumerem, studia Biblica longe majori cum assiduitate, & præstantiori successu, a nostræ partis doctis viris culta fuisse, ab initio Reformationis ad nostra usque tempora, quam unquam fuerunt ab Ecclesiæ Romanæ Doctoribus. Imprimis nostros de interpretatione, ad veritatem & puritatem Textuum Originalium comparata, semper longe magis sollicitos fuisse, in comperto est. Postquam Reuchlinus, vir sui ævi procul dubio doctissimus, Litterarum Hebraicarum studia instauravit, hoc stadium impigre demensi sunt quicumque apud nos Reformationi operam dederunt. Quantus vir hic fuerit Reuchlinus, quis ignorat?

* ub. sup. p. 64. 65.

ignorat? Placet tamen pro more meo ex vestris Auctoribus testem adducere, cujus verba miram vim habent, nempe Patrem *Niceron* ita loquentem*: *Reuchlin* étoit sans contredit un des plus savans hommes de son tems Il avoit remarqué ce qu'il y avoit de plus beau, & de plus curieux, dans les Orateurs & dans les Philosophes Grecs. Pour ce qui est de la Langue Hebraïque, il est le premier des Chrétiens qui l'ait réduite en art. Enfin l'Allemagne n'avoit de son tems que lui seul qu'elle put opposer aux savans d'Italie, à qui NB. il ne cedit en rien pour la beauté du Style, mais **QUIL SURPASSOIT DE BEAUCOUP EN ERUDITION.**

Si quid certe favere nostræ causæ potest, **EMINENTISSIME DOMINE**, id quarendum in studio Scripturæ sacræ indefesso, Reformatoribus eorumque successoribus quasi proprio. Quis palmam in hoc genere reportatam rapere auderet, Calvino, Melanchthoni, Beza, totque ac tantis viris, qui nullos fere Sacrarum Litterarum nodos extricabiles, inextricatos reliquerunt. Quodam, ut ita dicam, rivalitatis studio, extiterunt etiam Interpretes e grege Pontificiorum non spernendi, sed de quibus notandum est; primo, eos serius venisse, & viâ jam trita instituisse; deinde, nostrorum Auctorum serinia a præstantissimis Ecclesiæ Romanæ Interpretibus, *Salmerone*, *Maldonato*, & aliis compilata fuisse, eo ipso tempore quo crisin asperrimam in eos exercere visi sunt.

Nomina

* *Memoires* Tom. XXV. p. 145.

Nomina plurima omitto, immortalī memoria tamen digna, non memorans Osiandrum, Munsterum, Zwinglium, Oecolampadium, Bucerum, Petrum Martyrem, &c. quibus certe tota Cardinalium cœvorum congregatio nihil habet quod æquiponderari possit.

Nam, ut ad finem Epistolæ properans, nunc de Sadoleto, Contareno, & Polo, a Te EM.D. nominatim indicatis, sententiam proferam, eorumque meritis in Rem Litterariam & Studia sacra, sine ullo partium studio, verum statuam pretium, lubens agnosco eos fuisse Summos viros, qui quasi totidem stellæ, in Ecclesiæ suæ Firmamento, refulserunt. Sed tantum abest ut id nocere possit meæ causæ; quin potius illi, ni fallor, inde subsidia petam valida, in quem finem Observaciones sequentes proponam.

I. Cum duo, vel tria, tantum Nomina habeat nobis opponenda, Sedes quæ tunc adhuc late vigebat per omnes orbis Christiani regiones, ubi pusillus grex Ecclesiæ Reformatæ, caput ex imo pulvere vix attollentis, jam numerat inter suos totius Europæ eruditissimos viros, uno ore veritatem profitentes, quid inde concludi possit, nemo est qui statim non percipiat.

II. Deinde in Cardinalibus, SADOLETO, CONTARENO, POLO, video quidem fautores Litterarum, & Patronos ac Mecænates Litteratorum sui ævi, qui sibi eo pacto maximam & debitam commendationem pepererunt; sed, accurate loquendo, ipsum in illis scientiæ & eruditionis Thesaurum extitisse, saltem ea copia quæ in

Reformatoribus a me mox demonstrata fuit, minus evidens est. Quot vero sunt in omnibus Sæculis istius modi Magnates & Proceres, qui tincti quidem optimis Litteris, earumque pretium agnoscetes, alunt studia doctorum, & calcar addunt eorum conatibus, cum tamen ipsorum suffragia, in veritatibus & doctrinis dijudicandis, non sint summi valoris.

III. Perlustrando varia Opera, quorum mentionem injicis, EMINENTISS. DOMIN. in Epistola ad me data, observo hæc Opera quidem Cardinalibus nuncupata fuisse, vel in eorum gratiam, aut ad eorum nutum, scripta ab iis qui benevolentiam eorum captabant. An hæc vero quasi imputari ipsis Cardinalibus possint, tanquam propriæ doctrinæ documenta, judicet quis? Quicquid scripserint M. Antonius Flaminius, J. Baptista Folengius, & alii similes, id non potest commode ipsis Cardinalibus tribui, qui vel maxime his foetibus in lucem emittendis obstetricias manus præbuerunt.

IV. Sed hæc ipsa Opera ejus generis, ni fallor, sunt, quæ cum Calvini, Bezae, Lutheri, Buceri &c. laboribus in comparationem venire nequeant. Quid sunt quædam paraphrasæ, Psalmi metro donati, & similia, quæ ingenium & stylum, magis quam doctrinam & judicium requirunt, si inspexeris Volumina nostratium Bibliothecas integras conficientia, si vel solum Calvinum legeris, qui inter hujusmodi Autores positus, idem præstat ac Sol, ubi astra noctu splendentia luce sua fugat.

V. Nimis

V. Nimis iniquus forem, negando ipsos Cardinales Litteris operam dedisse, & plura eorum scripta, luci publicæ commissa, eos ab oblivione temporum vindicasse. At de his scriptis non dubito idem iudicium ferre ac de præcedentibus. Plura sane in iis nitent, sed elocutionis & eloquentiæ, vel saltem humaniorum tantum Litterarum respectu, longe potius quam doctrinæ aliquanto profundioris. Polus, Regio sanguine cretus, indolem habuit generosissimam, & inclaruit non minus Scientia quam Virtutibus. Sed omnem fere operam posuit in Controversiis sui temporis agitandis, scribens nempe *de Unione Ecclesiæ, de Officio summi Pontificis, de ejusdem potestate, de Concilio Tridentino* &c. quæ omnia sane parum faciunt ad interpretationem Sacræ Scripturæ, & Articulorum fundamentalium fidei explicationem. Nec ignorare potes, EMINENT. PRINC. ipsum apud suosmet in suspicionem incidisse, quasi Reformationi faveret: quod, an solido fundamento nitatur, hic inquirere angustia loci non sinunt. Contarenius non minus floruit, forsitan tamen negotiorum politicorum felici gestione, quam summis in studiis progressibus. Qui enim tempus terere non recusavit in libris conscribendis, *de Homocentricis; De Elementis & eorum mixtionibus; Non dari quartam figuram Syllogismi secundum opinionem Galeni* &c. ille sine dubio Litterarum incrementa proprio Marte non valde adjuvare potuit. Vixque inter ejus Scripta quicquam extat quod ad Sacram Scripturam referatur, præter Psalmi CXXII. explorationem. Liceat igitur,

EMINENTISS. DOMIN. ad TE IPSUM provocare, ut videas & iudices, an tales Viri, quantumvis ceteroquin præstantes, saltem *eloquiis Divinis interpretandis aptiores fuerint quam Lutherus*. Sadoletum præcipuum in hac triade iudicans, ultimo loco, & attentius, considerandum reliqui. Papa pileo Cardinalitio ejus caput cinxerat, ut talis viri virtute ac doctrina, quasi clypeo, contra Reformationis rapidos progressus uteretur; nec spes eum fefellit. Protestantium, non minus quam Catholicorum, laudes infucatas meruit eruditione, modestia, mansuetudine, pietate. Sed & ipse vicissim, æquus meritorum æstimator, splendida proni erga nostros Doctores animi testimonia edidit, quod patet ex plurimis ejus Epistolis ad Melancthonem, Erasmus* &c. Maximi fecit Oecolampadium ac Calvinum, hujusque, cum per Genevam transfret, adiit tuguriolum, ut ita dicam, & benevolentiam qua eum prosequeretur, omnibus modis declaravit. Ut vero intimius mentem Sadoleti rimari liceat, attendendum est ad scopum per totam vitam perpetuo ipsi propositum; quod nempe conciliare voluerit Ecclesiam Reformatam cum Romæ, sperans rem melius lenociniis & blanditiis suadela, quam persecutionum furoribus, successuram. Hinc semper aperte professus est, quantum ipsi displiceret vis in Religione adhibita;

* Hunc, antequam ullum volumen ederet, consulere solebat; & aliquando, mittens ad ipsum primam partem Commentarii in Epist. ad Rom. ita scribebat: *Nibil meorum mihi probari potest, quod ad Religionem & sacras literas pertineat, si non id antea sit tibi probatum.*

adhibita; scribens, verbi gratia, ad Pontificem, sibi mirum videri, quod quotidie nova in Iudæos privilegia conferret, eo ipso tempore quo Lutheranos vexaret. Verum, quamvis laudabiles fuerint ejus conatus in opere Reunionis promovendo, nihilominus, quod sapissime aliis evenit, utrique parti displicuit, nec Aula Romana ejus familiarius commercium cum nostris Doctoribus probavit, ita ut non sine Suspensione veneni mortem obiret: quibus rumoribus vulgi non ultra modum tribuo, licet saltem probent, si non ipsum factum, tamen ideas eo tempore passim receptas. Quicquid sit, testem habemus Sadoletum nostræ causæ faventem, longe magis quam nocentem. Scatent enim omnia ejus scripta Encomiis nostrorum Reformatorum*, quos quidem ita demulcere imprimis volebat, sed de quibus tamen ea tantum quæ toti

E 3

Orbi

* Ita compellabat Melancthonem in Epistola ad eum data d. 19. Dec. 1538. *Dilectissimo tanquam Fratri Philippo Melancthoni sacrarum Litterarum Professore*. Egregium vero lubet apponere locum ex Epistola ejusdem Cardinalis Sadoleti ad Ducem Georgium data d. 17. Jan. 1538. unde arcana ejus cordis quasi plene revelabuntur: *Anceps animi sum, quomodo cum eis (Lutheranis) agam, utrum acriter ac vehementer, an mansuete ac comiter. Primum, quam male processerit iis qui via illa ingressi sunt, intelligo. Alterum ego cum experiri conatus sim, Litterasque ad eorum nonnullos dederim humane, ac satis etiam honorifice scriptas, sentio quam male sim a multis in ista Germania acceptus, qui me aut scripsisse ad hæreticos homines, aut illo modo scripsisse, arguunt ac reprehendunt. In quo ego si consilio lapsus sum, studio certe ac pietate erga Deum non sum lapsus. Quid enim aliud quæsi, quam dum honorifice ad illos scribo, ut ipsi quoque ad parem moderationem, & quandam etiam benevolentiam mei inflecterent se, atque adducerentur.*

Orbi innotescabant, proferebat. In genere censura non immerita perstringendus venit Sadoletus, quod minus sincere in plurimis occasionibus & negotiis egerit, nec id tam facile coherere videtur cum ejus integritate ac pietate. Legantur, verbi gratia, tres, aut quatuor ejus Epistolæ ad Cancellarium *Pratæum*, tunc Cardinalem, nec sine stupore conspiciuntur immodicæ laudes quas cumulat in Virum, quem Historici omnes tanquam nullo fere laudum genere dignum, repræsentant. Tradiderat enim vere patriam suam, Franciscum I. inducendo ad antiquæ Pragmaticæ abolitionem concedendam; in quo non tam Papæ, quam propriæ ambitioni favebat, sperans sedem Romanam, non minus quam Cardinalitiam dignitatem, indignorum hujusmodi artificiorum aliquando præmium fore. Sed e diverticulo in viam. Sadoleti opera evolvens, & ea quæ ipsi jus dant conferri cum Luthero & nostris Doctoribus in S. Scripturæ interpretatione perlustrans, pauca sane numero, & minoris pretii, præsto adsunt. Stili Ciceroniani, & Poeseos Virgilianæ illecebris maxime captus, præcipuam gloriam quæsit in iis exprimendis, & in eo ipso a meta aberrasse dicitur, ita sentientibus magni nominibus iudicibus*. In Sacram Scripturam, præter Commentarium in Epistolam ad Romanos jam indicatum, una vel altera Interpretatio in Psalmos quæ solæ exstant, non sane eas prærogativas quas ei tribuis, conciliare valent. Cedant ergo

* *Sadolet, Bernbe, & Pontan, ont composé des vers d'une Latinité assez pure, mais dans une grande médiocrité de génie. Le P. Rapin, Poët. p. III.*

ergo victi tres Curiatii tribus ac pluribus Horatiis, quos nostra continent castra. Nec temere credamus *nostrum nos delusisse Apollinem*, qui cum Marsya, vel Mida, potius contendisse videtur.

VI. De Hieronymo Aleandro Cardinali, ob linguarum eximiam cognitionem a Te p. XVI. Ep. ad me datæ laudato, id tantum referam, quod in Comitibus Wormatiensibus, contra Lutherum per tres horas declamare, ejusque proscriptionem, ac librorum uisionem impetrare, non vero cum ipso congregari & disputare, sustinuerit.

VII. Demum, rivos claudens, & coronidis loco, rem sine dubio in nostri gratiam fere peremptoriam observo, & affirmo, omnes fere viros ingenio, doctrina, fama præcellentes, qui Reformationis tempore, vel circiter, vixerunt, eique nomen non dederunt, tamen impense ei favisse, & propterea in suspicionem incidisse apud suos. Erasmus ideo jam *nostrum* supra dixi; nihil enim eum amovit a nostris partibus, quam fervor forsitan nimius Lutheri, & nonnullæ lites, in quibus Reformator ille noster tanti Viri, eam quam debuisset, rationem non habuit. Cæteroquin in Erasmi Operibus, exquisitissimæ doctrinæ pretiosissimis cimeliis, nihil est quod Reformationis instituto & animo prorsus non consentiat, & erroribus abusibusque sui temporis dicam scribat. Sed plures adsunt mihi ejusdem notæ viri, & Litterarum veri Proceres. Quis non novit *Georgium Cassandrum*, virum simul doctum & probum, qui præcipuam vitæ partem consumserat in examinandis Controversiis Ecclesiæ, mediisque ad eas fopiendas aptis

disquirendis. Legatur ejus opus, *de Officio pii ac publicæ tranquillitatis vere amantis viri, in hoc Religionis dissidio*, vel passim evolvantur ejus Scripta; ubique micabunt Reformationis scintillæ. Neminem vero libentius allego, quam celeberrimum illum Concilii Tridentini Historicum, *Fra-Paolo*, tuum inclytum Concivem, quem infinitis & indubitatis testimoniis Reformationis opus valde probasse certo certius est. Aliquid tantum desiderans in agendi ratione & modo Reformationis procurandæ, vota aperta fundit in plurimis Epistolis publici juris factis pro ejus incrementis. Cum hæc testimonia jam diligentissime collecta extent in ejus Vita*, *Historiæ Concilii Tridentini* a doctissimo *le Courayer* editæ præmissa, ab iis repetendis supersedeo.

Liceat ergo, Purpuratorum Eminentissime, quamdiu urgentiores non aderunt rationes, liceat, inquam, meis Præceptoribus fidem tutam præbere, quibus, non minus quam Prophetis & Apostolis, vera Dei eloquia concredita sunt, cum nihil, vel docuerint, vel scripserint, quod ex Verbo diuino haustum non sit, & a suis discipulis nihil requisiverint, nisi attentionem, & rationis usum, iterantes hoc Servatoris præceptum: *Diligenter scrutemini Scripturas; per has enim vitæ æternæ compotes evadetis*. Faxit autem D. O. M. ut hæc sacra fidei morumque nostrorum norma omnibus Christianis tandem unice proponatur. Te vero Summum illud Numen, E.D. diu salvum & incolumem præstet. Vale.

Berolini d. XX. April. A. MDCCXLIX.

VI. MO-

* P. LXIV. LXVII.

VI.

MONITUM.

A tempore præcedentis Epistolæ editæ, & ad Em. Cardinalem missæ, quam statim brevi, sed humanissima Responsione Italice scripta dignatus est, effluxere aliquot menses per quorum intervallum ab eo accepi Decadem Sextam Ejus Epistolarum Latinarum, in Bibliotheca Academia nostræ reponendam, itidemque duo priora Volumina Commentariorum, de rebus ad ipsum pertinentibus. Decadi Sextæ Epistolarum præmissa est Dedicatio Incognitæ Litteratorum Austricorum Societati; quam perlegens, hæc verba inveni: „Recensetur
 „ibidem (scilicet in Diario quodam Germanice
 „conscripto, & Turici hebdomadatim edito) mea
 „ad Virum Clarissimum Samuelem Formejum a
 „Secretis Berolinensis Academia Epistola, in qua
 „demonstrandum sumpsi Romanæ Ecclesiæ Proce-
 „res a me jam diu celebratos, semperque celebra-
 „dos, quemadmodum Lutherum doctrina omni,
 „Christiana pietate, sapientia singulari, & reliquis
 „ingenii animique dotibus quantum superarunt,
 „ita homini illi nulla ratione secundos fuisse in
 „Linguarum Orientalium peritia: nam hanc quo-
 „que sibi ipsos assiduo & incredibili studio com-
 „parasse indubiis experimentis ostendi. Eam ve-
 „ro recensioem Scriptor Zwinglianus in hunc
 „modum concludit: Ego quidem ita sentio Lu-
 „therum sat doctrinæ acuminisque habuisse, ut
 „susceptum a se facinus Ecclesiasticæ unitatis discin-
 „dendæ

„dendæ ad finem perduceret, at facinus iud num-
 „quam aggressurum eundem fuisse, si doctrina &
 „acumine magis valisset. Qui ad me folium
 „istud transmisit, una simul laboribus meis in
 „hunc modum gratulatus est. Lisez, ou faites
 „vous traduire la fin de la p. 93. de cette Feuille,
 „où l'on dit publiquement, que si Luther avoit eu
 „autant de sagesse & d'erudition qu'en ont eu Conta-
 „renus, Polus &c. il n'auroit pas entrepris de ré-
 „former l'Eglise. Mais n'en ayant eu que très peu,
 „mais beaucoup de hardiesse, il a réüssi.* Enfin,
 „Monseigneur, Votre Eminence peut bien com-
 „prendre que c'est assez d'avancer de telles choses
 „dans une Ville comme est Zurich dans un im-
 „primé public. ROME N'A PAS ETE BA-
 „TIE DANS UN JOUR.,,

*Hiscæ perlectis, cum cæteroque Responsum
 deberem & Epistolæ, & muneribus Litterariis
 Em. Cardinalis, ad Eum scripsi, sed cum litte-
 rarum mearum exemplar servare neglexerim, eas
 hic apponere non licet. At facile intelligetur ex
 Cardinalis Responso, de quibus rebus in illis ege-
 rim. Hæc fuit igitur occasio, cur Eminentissi-
 mus QUIRINUS alteram Epistolam typis
 impressam ad me dederit, quæ ita se habet.*

AD

* Inferius totam Historiam horum verborum concinnabo,
 eaque, & alio longe modo fuisse expressa, & nullius in
 se ponderis esse, demonstrabo.

A D
VIRUM CLARISSIMUM
SAMUELEM
FORMEJUM
REGIÆ SCIENTIARUM, AC LITERA-
RUM ACADEMIÆ BORUSSICÆ
SECRETARIUM PERPETUUM
EPISTOLA.

VIRO CLARISSIMO
SAMUELI FORMEJO
REGIÆ SCIENTIARUM, AC LITERARUM
ACADEMIÆ BORUSSICÆ SECRETA-
RIO PERPETUO

A. M. CARD. QUIRINUS
S. R. E. BIBLIOTHECAR. ET EPISC. BRIXIEN.

Literæ tuæ superiori mense Berolino exaratæ
animum meum varie affecerunt; delecta-
runt siquidem primo loco cujusdam erga
me admodum officiosi propositi testificatione, pu-
pugerunt deinde pugnæ inter nos instaurandæ de-
nuntiatio hæud obscure consilio, ac conturbarunt
tandem allato tristissimo nuncio. Quid enim of-
ficiosius (ut tria ista ex ordine explicem) notitia
ad me tuis illis literis perlata? nimirum Commen-
tatorum

tariorum meorum opus adeo humane a Te exceptum fuisse, ut eo perlecto illico statueris Gallici idiomatis gratia ipsum exornare, conficiendo nempe libellum, cui titulum apponeres, *Anecdotes litteraires de la vie &c.* Exhibuerant sese antea utique comes adversus meum illud opus, quantumvis tenue, Gottingensis Lycei Professores, capta de illo recudendo deliberatione, uti propalam fecit in Epistola ante binas hebdomadas a me vulgata, doctissimi, celeberrimique Matthiæ Gesneri testimonium; paremque comitatem ex una adhuc, & altera Germaniæ Academia præstolari me posse amicorum literæ aliquot mihi significarunt. At tua, Formei Clarissime, deliberatio illustriorem adhuc honorem mihi impertietur, unde me Tibi summopere devinctum profiteor. Quod spectat ad pugnam, quam visus es indixisse hisce verbis, *J'ay veu dans l'Epitre Dedicatoire de la Sixieme Decade, Incognit. Litter. Austr. Societ. que V.E. touche encore incidemment p. vi. nôtre Controverse sur le parallele des Reformateurs, & des Cardinaux contemporains. J'y trouve l'aveu d'un Zwinglien, qui me paroit fait fort a la legere, & dont il seroit aisé de lui faire sentir la foiblesse, comme j'en trouverai peut-être l'occasion;* adeo istam, inquam, pugnam non formido, ut in eandem ruere paratus omnino sim, quin castra, aciemque vel in mea Epistola ista movere decrevi. Demum nuncius, quem tristissimum dixi, ille est, quem mihi hisce verbis prodidisti, *Le batiment de l'Eglise Catholique est à peu près suspendu, faute de secours pecuniaires à ce que l'on pretend. Je ne doute pas,*

pas, que le zele, & la charité des Catholiques ne levent bien-tôt ces obstacles. Hisce lectis vehementissimo inde dolore percussus me sensi; una simul tamen ingens cupiditas me incessit publicum aliquod documentum proferendi, unde omnes intelligant, fidem, quam publice dedi de mille aureis nummis ad augendum Templi illius decorem erogandis, a me valde religiose præstari. Quare consilium cepi, instrumentum, quo pacta fuit conventio operis, cui summam illam pecuniæ sacratam volui, literis hisce subjungendi, & ei conjungendi etiam ejusdem operis ectypon. Utinam pia hæc flamma, quam toto ego pectore percepi, postquam BENEDICTUS XIV. P. O. M. eadem incendi enixe contendit Catholicos quosvis, præcipue vero Purpuratos Romanæ Ecclesiæ Patres, ad quos de Berolinensi Templo juvando Allocutionem habuit prorsus Apostolicam, utinam, inquam, in eorundem cordibus perseveret, donec fructus sanctissimæ ejus Pontificis menti consentaneus exoriatur, Templum scilicet illud undique perfectum conspiciatur.

Venio nunc ad certamen, Teque etiam, atque etiam exoro, ne ullo modo e memoria tua excidat, quidnam fuerit quod in Epistola mea, ad Te ipsum Brixia die XXX. Dec. an. MDCCXLVIII. data, tuam quandam parenthesim refutaturus, probandum susceperim. Hoc unice fuit, Romanæ Ecclesiæ Proceres Contarenum, Polum, Sadoletum, aliosque horum Collegas, quorum prudentissimis, sanctissimisque consiliis Paulus III. innoxius (quo ipso tempore adversus Apostolicam

Sedem

Sedem faviret *horrendum minax flammiger Erin-
mys*, hæresis nempe) Christianam Remp. admini-
stravit, eos, inquam, Proceres Biblicorum stu-
diorum amore ita flagrasse, ut ea ipsorum delicias,
& voluptatem fuisse luce meridiana clarius inno-
tescat. Id ego demonstravi indubiis documentis
in medium allatis. Quoniam vero de hujusce-
modi documentis nullum prorsus in Tua nupera
Epistola, die XX. Apr. typis impressa, verbum fe-
cisti, sinas, quæso, ut hic, eorundem documen-
torum summam breviter comprehendam, quo al-
tius ipsa in animum Tuum penetrent. Te itaque
oro, atque obtestor, ut fidem Tuam consulas, ac
sincere dicas, num quidpiam amplius ab Optima-
tibus illis desiderari potuerit, unde de eorundem
erga studia illa cupiditate certo certius constaret?
Advocandus ne iisdem fuerat ex longinquis regio-
nibus qui Hebraicæ linguæ peritia excelleret? Ad-
vocarunt utique Lovanio celeberrimum Professo-
rem Joan. Campensem. Curandum ne iis erat, ut
istum familiarem sibi redderent? Ita reddiderunt,
ut invicem velut certaverint pro ipso singuli in
contubernium suum adsciscendo. Præfici ne illum
ipsum oportebat Academico alicui coetui, ut, eo
Magistro, Biblico nectare plurimorum animus
aleretur? Id egregie præstitum in Gibertina Aca-
demia; nam de ea Hieronymus Fracastorius hæc
habet ad M. Antonium Flaminium, & Galeatium
Florimontium, Sodales suos,

*Dum vos fatidicos Vates, arcanaque sensa
Volvitis, atque animum cælesti nectare
alentes,*

Alloquitis,

*Alloquii, magnoque Dei consuefcitis ori,
 Felices, duce Giberto, Campense magistro &c.*
 Fuerat ne impendendum patrociniũ Bibli-
 cubrationibus, ut in publicam lucem prodirent?
 Non ii Proceres tantum, sed vel ipse Alexander
 Farnesius, Pontificiæ Aulae princeps, & arbiter,
 suafores, & impulsores M. Antonio Flaminio se
 præbuerunt, ut Davidicis Psalmis interpretandis
 totum se dederet, utque eorundem explanationes
 publicaret; has vero tanti fecerunt, ut de se ipso
 hæc fassus fuerit idem Farnesius, ad eundem Fla-
 minium scribens: *De Psalmis vero, Deum ipsum
 attestor (unde hausto spiritu te eos cecinisse ambigi
 non potest) nihil me adhuc legisse, quod majorem
 mihi voluptatem, aut admirationem attulerit.* In-
 eunda ne videbatur consuetudo cum egregiis divi-
 narum literarum cultoribus, quotquot degerent in
 Cœnobiis? Hosce Proceres illi seu lateri suo ju-
 giter hære peroptarunt, seu domicilium in iis
 ipsis Cœnobiis iidem cœperunt. Decebat ne tan-
 dem ea ipsa studia ab iisdem Proceribus excoli vel
 inter gravissimas occupationes, quibus distringe-
 bantur, atque inter Christianæ Reip. turbamenta,
 quibus sedandis in manifestum discrimen vitam
 suam adducebant? Polus, dum in Belgio degeret
 in Angliam trajecturus, etsi undique Henrici An-
 glia Regis insidiis appeteretur, divinis vel eo tem-
 pore literis adeo vacabat, ut de eo ita scriptum
 reliquerit Aloysius Priolus Venetus Patritius ejus-
 dem Achates, *Il R^{mo} Legato si ha tandem
 lasciato exorare di leggerci l' Epistole di S. Paolo
 alternis diebus, ed ha cominciato dalla prima a
 Timoteo,*

Timoteo, con somma soddisfazione del Vescovo (Giberti Episcopi Veronenfis) e di tutti noi. O quanto desidero e Voi (Cardinalem Contarenum intelligit) ed il nostro dabbenissimo Vescovo di Fano (Cosimum Gherium designat) a questa santissima lezione, da questo santissimo Uomo con tanta riverenza, ed umiltà, e con tanto giudizio letta, ch' io non saprei certo desiderare meglio, nè credo che l' amore m' inganni questa volta. Idem Polus ingenti tristitia affectus ex improspero Hispanicæ Legationis successu animum suum Psalmorum lectione una cum Sodalibus oblectabat, quare ad Contarenum Carpentoracti ita scribit, Per nostra consolatione mutua avemo cominciato a conferir insieme li Salmi di quel gran Profeta &c.

Hæc omnia indubiis testimoniis adstructa in Epistola illa mea, iterum Te deprecor, Formei, ut, repetita ejusdem lectione, diligentius etiam quam antea, recognoscas, ac deinde ingenue fatearis, num juste a Sectariis instaurari hodie possint acerbissima convicia, quæ eorundem Antesignani, & Magistri adversus Catholicos evomere in singulis ferme lucubrationibus suis consueverunt, perinde ac si nil nostris magis collibuisse, quam posthabitis sacræ Scripturæ purissimis fontibus unice confectari inanes fallacias, profanas vocum novitates, inepta, & anilia commenta. Ad evincendam putidissimam istam calumniam, etsi testimonia illa non suppeterent, satis nonne forent Procerum ipsorum Scripta, a quibus (rursus fidem tuam imploro, Formei) an absint fallaciæ, novitates, & commenta, ipsemet judices, velim,
an

an vero tota quanta sunt ex divinatorum eloquiorum sententiis coaluisse comperiantur? At quoniam potius quam ad argumentum concertationi nostræ propositum, placuit Tibi in Epistola tua sermonem convertere ad exaggerandam Reformationis, cujus Romana Ecclesia indiga eo præsertim tempore foret, necessitatem, scias velim, vestris hujusmodi querimoniis responsum a me fuisse adeo crebro, adeo valide in pluribus lucubrationibus meis, ut pudere debeat Heterodoxos eandem naniam recantare. Accipe tantum quas de hac re recitavi in calce ad Feuerlinum data die XX. Febr. 1748. Curayeri sententias in Præfat. ad suam Versionem Gallicam Conc. Trid. p. XXIX. Hic ibi ita loquitur: *A l' egard de la Discipline il est certain qu' on y a fait un nombre d' excellens Reglemens conformes à l' ancien esprit de l' Eglise, & qu' on y a remedié a quantité d' abus pernicieux, qui regnoient impunement au paravant.* Et paulo post: *Tous ces desordres n' ont pas étés redressés par le Concile. Mais si l' on en juge sans prevention on peut dire avec verité, qu' ils sont infiniment moindres, qu' au paravant.* Hanc ipsam Reformationem Primates Romanæ Ecclesiæ, de quibus loquor, vehementissimo studio, antequam Concilium Tridentinum convocaretur, promovisse, idque ut Pauli III. jussibus parerent, innumeris testimoniis depromptis ex mutuis ipsorum literis manifestissime demonstravi. Si Tu autem regeras, multo uberiolem Reformationem curandam sibi proposuisset Lutherum, Calvinum, Zwinglium &c. regeram ego, hisce adaptari posse, uti

F alibi

alibi facere non omisi, fabulam ab A. Gellio narratam l. XIX. c. XII. de Thracio homine, qui ruris colendi insolens, vites suas sibi omnes, & oleas detruncavit, comasque arborum latissimas, uberrimosque vitium palmites decidit, & fruteta, atque virgulta simul omnia, pomis, frugibusque gignendis felicia, cum sentibus, & rubis purificandi agri gratia extirpavit. Quid autem (Deum immortalem!) præ Contareno, Polo, & Sadoletto &c. nisi Thracius homo Lutherus, Calvinus, Zwinglius, &c.?

Atque hæc sunt, quorum memoriam Tibi refricandam censui, ut disceptatio, quam Te suscepturum minaris, recta ad destinatum signum collimet. De Græcæ, & Hebraicæ linguæ imperitia, quam complures Lutheri opera evolventes fugillari merito posse existimarunt, nihil vides me dixisse, nihil de perditis ejusdem hominis moribus, nihil de impotentis animi effrænatione, cui obnoxium ipsum fuisse nemo negaverit, nihil de tyrannica dominatione, quam in suos sibi arrogaverat, quamque iidem refringere subinde conati sunt; nihil, inquam, dixi de omnibus hisce Lutheri intemperitiis, etsi quisvis intelligat, easdem parum idoneum hominem illum effecisse divinis eloquiis seu percipiendis, seu explanandis. Abstini pariter ab extollendis Catholicorum Procerum, de quibus inter nos agitur, Christianis virtutibus, etsi nulla ex ipsis eosdem caruisse, ita clarum, & evidens meæ quamplurimæ lucubrationes reddiderint, ut de ea re dubitare idem prorsus sit ac in meridie cæcutire. Temperantiam hanc omnem

omnem adhibitam a me in proposito disputationi nostræ argumento pertractando ut summa Tibi lex sit æmulari, flagrantissime exopto.

Illustri Academiæ nostræ Præsidi Maupertuisio, cujus nomine salutem mihi plurimam dixisti, ut officia mea deferas, etiam, atque etiam peto, ipsique una simul gratuleris gratiam singularem, qua eundem florere apud Regem significasti, si etenim

*Principibus placuisse Viris non ultima laus est,
Esse putes primam tanto placuisse Monarchæ.*

Vale.

Brixia die XVIII. Sept. an. MDCCXLIX.

P. S. Prælo dum jam jam consignaturus forem extremam istam Epistolæ hujusce paginam, meas ad manus repente advolarunt ex Balthici Oceani oris Perardi Academiæ Berolinensis Socii literæ datæ die 22. Augusti proxime elapsi. Crederes ne & ipsum, pro benevolentia, qua me Sodalem suum complectitur, Tecum quodammodo certasse in commendando meos illos Commentariolos? *Je les ay devorés* (hæc ejus sunt) *ils m' ont fait oublier le boire, le manger, & le sommeil.* Tribuit deinde eidem libello laudes, quas certe non promeretur, hisque propterea suppressis, tantum referam, quas ingenue honestus homo vindicare sibi potest incolumi verecundia, videlicet, *aimable enjouement, bon coeur, humanité, sensibilité caractérisent ce livre là.* Verba ista Perardi, tuis adjuncta, efficiunt, Formei, ut jurè dici a me possit, quod appellatis *bon coeur, humanité, sensibilité* sedem suam una cum eximia reconditarum literarum scientia in Berolinensi Academia obtinere. Iterum vale.

Venezia li 18. Agosto 1749.

Con la presente Carta di Convenzione, resta stabilito tra Monfig. Diedo Vescovo di Torcello, ed il Conte Bonhomo Algarotti ancora, per commissione di Sua Eminenza il Cardinale Querini Vescovo di Brescia, ed il Sig. Giovanni Merchiori Scultore, che il menzionato Merchiori si obbliga di rimettere a Sua Eminenza a sopraddetto nel termine al più di Mesi dodici, oggi principati, un Gruppo di due Statue rapresentante l' Apparizione di Nostro Signore alla Maddalena, con il loro Pedestallo, scolpitavi sopra l' Arma della Casa di Sua Eminenza, ed incisavi quella Iscrizione, che gli verrà trasmessa; il tutto in Marmo fino Bianco di Carrara, e secondo il Dissegno prodotto dal suddetto Sig. Merchiori, e ch' incontrò tutta l'approvazione. Che le due Statue avranno di altezza Piedi 7. circa misura del Rheno, ed il Pedestallo 2. e mezzo circa misura suddetta, con quel di più ch' esprimono le misure del Dissegno già spedito in Berlino, ove il detto Gruppo dev' essere trasmesso, per esser poi riposto in uno degli Altari laterali di quel nuovo Tempio Cattolico; e finalmente che l' Opera tutta, tanto ne' principali, quanto negli accessori verrà dall' Artefice condotta a tutta quella perfezione di lavoro, che la diligenza, e l' Arte sua saprà, e potrà ridurla. All' incontro poi promettono detti Monfig. Diedo, e Co. Algarotti, per nome di Sua Eminenza, che il Marmo tutto occorrente a dett' Opera verrà prontamente soddisfatto al sopraddetto Sig. Merchiori, che avrà l' incombenza di farne la scelta a suo piacimento, e che per Mercede della scoltura gli verranno pagati Zecchini Cinquecento d'Oro, ne' Tempi, cioè una Terza parte prontamente, un' altra Terza parte da oggi a Mesi 6. purchè il Gruppo si ritrovi in allora ridotto alla metà del suo lavoro; ed il rimanente saldo, al punto della perfezione del Gruppo medesimo. In fede di che resta la presente sottoscritta per la sua inviolabile esecuzione.

Vincenzo Mar. Diedo Vescovo di Torcello affermo.

Bonhomo Algarotti affermo.

Io. Gio. Merchiori affermo.

VII. MO-

VII.

MONITUM.

Ad doctum quemdam Amicum Turicensem scripseram, ut sciscitaver̄ ab eo, quid statuendum esset de illa Censura Diarii Turici editi, qua Cardinalis gloriabatur. En Responsi ab eo accepti varia fragmenta, quæ ad Controversiam nostram pertinent !

VIRO PL. REVERENDO
CELEBERRIMOQUE

SAM. FORMEY

S. P. D.

N. N.

Litteras tuas d. 28. Aug. datas recte accepi - -
--- Transmitto tibi, quoniam ita postulasti die so geheissenen Freymüthigen Nachrichten von gelehrten Sachen, quæ singulis diebus Mercurii hebdomadatim Tiguri excuduntur. Videbis quam diversum sit judicium Cardinalis ab eo quod in hac recensione extat. Hujus auctorem ignoro. Judicii Gallicis verbis expressi, quod in Epistola tua adfertur auctor, est Heideggerus Typographus nostras, vir juvenis, scurrilis ingenii, quique de Reformatorum Eruditione & rebus sacris, non magis sanum ferre

potest iudicium, quam ego de arte saltandi. Is frequenter ad Cardinalem litteras dat, & qua est impudentia, in sinum ejus talia effundit, quæ sunt a veritate quam maxime aliena, & in suo cerebro duntaxat nata. His testimoniis privatis imprudenter utitur Cardinalis ad denigrandos alios. Sic Cl. Schelhornium etiam privatis in litteris scurra adortus est, quod cur in publicam lucem edat Cardinalis, non video causam. Quasivi ex Heideggero, quis auctor sit iudicii de Luthero lati, & quidem Latino idiomate exarati. Respondit ille, ministros quibus utatur Cardinalis in vertendis Gallicis male suam sententiam cepisse, unde vides fraudem subesse in hoc negotio. At quæris cur scurrilitatem hominis non compeſcamus. Rationem hanc accipe. Censores Librorum penes nos sunt duplicis generis. Duo sunt ordinis politici, quinque vero ordinis Ecclesiastici. Politici ordinis viri sibi vindicant Censuram in libellum illum die *Freymüthigen Nachrichten* appellatum: Nos vero cæteri die Mercurii plagulam demum jam prelo liberatam videmus; unde sæpe fieri solet, ut malo occurrere non possimus. Sæpe tamen Hottingerus propter suam in maledicendo impudentiam, palinodiam canere tenetur. Nos cæteri, neque etiam politici ordinis viri haud concederemus ut tam iniqua de Luthero, vel aliis Reformatoribus ferrentur iudicia. Quod si Cardinalis pergat Zwinglio, vel aliis Reformatoribus insultare, ferre debet, si nos Tigurini strenue causam eorum sinus acturi. Hoc per me, si velis, significare non obscure poteris Cardinali.

eo tempore quo accepi literas tuas, ecce nova per Heideggerum advolat Cardinalis ad te data Epistola, in qua Sadoleti, Contareni &c. supra Reformatorum nostrorum in studio Biblico restaurando extollit peritiam. Ego vero in me demonstrandum suscipio plures longe in Schola Tigurina tempore Reformationis ad hoc studiorum genus extitisse aptos, quam in tota qua patet Italia. Zwinglius, Bullingerus, Pellicanus, Bibliander, qui & Alcoranum vertit in idioma Latinum, & cujus, ut & Pellicani extant tot Eruditionis Orientalis in nostra Bibliotheca Canonica monumenta, ut de Leone Juda, cujus versio Bibliorum in ipsa Germania recusa, & ab ipso Recaredo Simone laudibus elata, de Gesnero item & Cholino, aliisque doctis Tigurinis nihil dicam, testes sunt omni exceptione majores. Hæc satis simul ostendunt, quam parum in his versatus sit Cardinalis; profecto pueri fuerunt Sadoleti illi, Contareni &c. cum virorum horum eruditione comparati. Et quale tandem est tantæ dignitatis Viri ratiocinatio. Sadoletus puro castoque sermone Latino metro complexus est Davidis Psalmos. Polus inter negotia quam plurima N. Testamentum sedulo evolvit. Ergo illi homines aptiores erant ad studium Biblicum restaurandum quam Reformatores nostri. Scilicet baculus stat in angulo: Ergo cras pluet. Cur *Thracium hominem* appellet Zwinglium, æque puerilis ratio est. Si ad ignobile stemma respicit hujus Reformatoris, contra prudentiæ regulas peccat. *Potest enim, judice Seneca, ex casa magnus prodire vir,* & Juvenalis fatetur

Summos posse viros, & magna exempla daturus

Verecun in patria, crassoque sub aëre nasci.

Et Apostoli ipsi erant plerique natione Galilæi, genus hominum inter Judæos contemptum plane. Si vero Cardinalis respicit ad Hortulani illius Thracii facinus infelix, lollium una cum optimæ frugis plantis evellentis, fateatur, necesse est, Ecclesiam Romanam tempore Reformationis anili superstitione, & idololatria fuisse deturpatam, & Zwinglium cæterosque Reformatores horum malorum stirpem eradicasse. Simul vero probandum illi incumbit eosdem Reformatores simplicem illam & divinam Christi & Apostolorum doctrinam simul sustulisse. Hoc si probaverit, magnus mihi erit Apollo. Hæc quæ scribo poteris per me Epistolæ tuæ ad Quirinum inferere, suppresso tamen nomine meo, significando duntaxat doctum quendam Tigurinum talia ad Te scripisse - - - - -

Vale & porro mihi fave.

Tiguri d. 12. Octobr. 1749.



VIII.
MONITUM.

*Quem nexum habeat Epistola subsequens cum
nostra Controversia, cuius legenti facile pa-
tebit, nec ampliori Præfamine opus esse arbitror.*

AD VIRUM CLARISSIMUM
FRID. OTT. MENCKE-
NIUM

CONSILIARIUM AULICUM REGIS
POLONIÆ, PUBLICUMQUE
LIPSIAE PROFESS.

EPISTOLA.

VIRO CLARISSIMO
FRID. OTT. MENCKENIO

CONSILIARIO AULICO REGIS POLONIÆ,
PUBLICOQUE LIPSIAE PROFESS.

A. M. CARD. QUIRINUS

S. R. E. BIBLIOTHECAR. ET EPISC. BRIXIEN.

Proximo Dominico die, quo perlatae ad me
sunt literae tuae 14. Nov. datae, meas pariter
ad manus pervenerunt Jo. Rudolphi Kieslin-
gii aliae, adeo a tuis dispares, ut vix credi possit, par
istud uno eodemque tempore, ex una eademque Urbe,
ab hominibus unius ejusdemque Cœtus, Academici
nimirum, proficisci potuisse. Tuæ siquidem a ca-
pite ad calcem suavitate, & humanitate unice
spirant, seu dum vota amantissime nuncupas pro
recta mea valetudine, seu dum merita mea (paucula
utique) in bonas artes, harumque studiosos agno-

scis, seu dum Bibliothecæ meæ eximium paras incrementum, nimirum 4000. Dissertationum Collectionem, quas Amicorum tuorum aliquis continuo viginti annorum spatio, magno ære sibi redemptas, in præsens venales offert, quarumque *nulla* (ais pariter ipse) *vulgaris argumenti, nulla indigna tuis oculis, nulla indocte scripta est, omnes ad illud literarum genus, cui Te vel maxime favere scio, pertinent, quarum denique nemo non possessione gaudeat.* Kieslingii autem literæ secum attulerunt Epistolam ab ipso adornatam, eamque Lipsiæ die X. Nov. impressam, qua refutare aggreditur quam ego ad Samuelem Formejum, Regiæ Scientiarum, ac Literarum Academiæ Borussicæ Secretarium Perpetuum, ante annum exaraveram; hisque ille officiosissimis verbis me illico suæ illius Epistolæ initio compellat, *Tanta animi confidentia de Scripturæ Sacræ pretio ab Romanensibus illi adhibito scribis, ut crederes illos sacris tabulis nihil prius habuisse, nihi'que antiquius. Ast enim vero hanc astutiam jam dudum observavit, & satis dextere demonstravit Dan. Chamierus latere anguem sub herba.*

Hæc ego in Kieslingii Epistola legens, postquam suavissimam tuam oculis usurpassem, obstupui haud mediocriter ad fortuitum illum occursum literarum omnino inter se pugnantium, moxque, quoniam Kieslingiana memoraverat anguem, in mentem mihi venerunt angues veluti quidam, quos avibus copulatos ad me detulisse tabellarius, cui ambas eas literas debebam, dicendus foret; ea usus quodammodo iste licentia, quam Horatius initio Epistolæ ad Pisonem Poetis minime indulgit, dum scribit,

*Scimus & hanc veniam petimusque, damusque vicissim:
Sed non ut placidis cœant immitia, non ut
Serpentes avibus gementur, tygribus agni.*

Multo autem magis obstupui, Kieslingium ibidem toto cœlo aberrantem, conspiciens a disputatione
inter

inter me, & Formejum excitata. Sita hæc unice erat in demonstrandis Biblicis studiis, quibus se summopere dedisse, advocato etiam linguarum Orientalium præsidio, contendebam ego Viros tot meis lucubrationibus commendatos, Viros maximo in pretio habitos a Paulo III. Pontifice, adhibitosque proinde jugiter ab eodem ad gravissima quævis Ecclesiæ Romanæ negotia pertractanda, Contarenum, inquam, Polum, Sadoletum &c. Huic concertationi sese ultro immiscens Kieslingius, annon oportuisset, ut totis viribus impugnaret ea testimonia, quibus innixus positam a Cardinalibus illis in sacro Codice diurna, nocturnaque manu versando operam celebraveram? Adeo autem absuit Adversarius meus a testimoniis illis impetendis; ut ne verbulo quidem ea laceffere ausus fuerit, imo (quod incredibile cuivis videbitur) abstinerit etiam a Cardinalium eorundem tota illa Epistola, quæ tamen 32. paginis constat, vel solo nomine recitando. Itaque volupe illi fuit in aliis quam plurimis paratragædiari, quæ nihil omnino facerent ad disputationis illius argumentum, quæque vel omnino sunt falsa, vel si aliquo modo vera forent, illustrarent eo magis præstantissimorum Cardinalium illorum studia, de quibus agitur, eosque digniores redderent quos Lutherus cum affectis suis, siquidem studia illa adamabant, ceu sanæ doctrinæ addictos, Christianæque Ecclesiæ veros Magistros, & Patres, tam ipsos, quam Pontificem, quo præside, & auspice, imo & largissimo remuneratore studia ea optima colebant, ex animo venerarentur, ipsorumque, ut ita dicam, vestigia adorarent.

Quorsum hæc ad me? dicentem te audire mihi videor, Menckeni. Quorsum hæc? Audias & ipse quæ statim eloquor. In Actis Eruditorum, quæ te ductore Lipsiæ concinnantur, nuperrime animadverti singulari erga me humanitate relatam fuisse Junio mense an. 1748. controversium inter me, &

Schel-

Schelhornium habitam, nam hisce verbis concluditur Scriptoris ad eam rem a Te adhibiti recensio, *Nos, qui minime id nobis sumimus, ut in causa a doctissimis duobus Viris disceptata iudicium nostrum interponamus, in Schelhornio id unum prædicamus. quod Adversarium suum, cuius in literas merita egregia nunquam satis laudari possunt, reverenter, ut decebat, habuerit, & exemplum lectoribus præbuerit, quod in controversiis aliquando imitari possint.* Supplex itaque peto, ut parisi utique ingenii Scriptorem applices ad Kieslingianam Epistolam quam primum in iisdem Actis recensendam, æquum scilicet, honestumque, qui tamen minime refugiat iudicium suum interponere de lite mihi ab homine illo mota, sed libere pronunciet, an hic ullo modo sua illa Epistola infirmaverit testimonia, quibus laudes a me in Biblicam Procerum meorum literaturam collatas superstruxi; nam id nisi ipse præstiterit, nemo non dicet, oleum, & operam eundem perdidisse. Ea ipsa testimonia, præter Epistolam illam ante annum ad Formejum scriptam, necesse habui iterum inculcare a tribus circiter mensibus in altera ad eundem; quam tamen quoniam non ita cito ad regiones vestras perferri posse confido per sarcinarios currus, quibus post peractas hisce diebus Nundinas Bolzanenses imponentur ejusdem exemplaria juncta pluribus exemplaribus Tomi tertii meorum Commentariorum isthuc pariter devehendis; propterea Epistolam istam tabellariis, cursum per citatos equos conficientibus, committam.

Est aliud quod a Te petam, antequam hæc literas claudam, nimirum, ut agas gratias meo nomine Lipsiensi præstantissimo Archiatro Petro Godefrido Günzio, cuius de meo morbo Consilium Tibi ab eo humaniter traditum mecum communicasti. Arrifit illud, ut facile credes, quam maxime, quoniam statuit ipse, ex omnium corporis mei interiorum, exteriorumque partium, si a cruribus discedas, integritate
fatis

fatis constare, morbo eidem causam dedisse non sanguinis acorem, quicum integritas illa per quinque menses consistere non potuisset, sed minimorum tubulorum in extremo pede laxitatem, forte profectam, ut ego initio opinatus sum, ex calore dumtaxat seu ignis, cui per hiemem affedi, seu pellis ursinae, per quam una simul crura obvolvebantur. Benigna hæc Æsculapii vestri sententia de morbi mei natura, plus roboris in præsens acquirit, quod ea ipsa integritas intacta adhuc persultat post elapsos jam duos, aut tres alios menses, quod labes omnes e cruribus jam ante plures hebdomadas evanuerint, quod ab initio mensis Novembris spatium cœperim per ædium mearum conclavia, etiam absque adminiculo, quod denique nullo remedio usus neque interno, neque externo pristinam in extrema ea corporis parte vim ferme totam recuperaverim, adeo ut nudius tertius in Præfat. Tom. III. Commentariorum meorum affirmare valuerim, pancratice me valere. Addam modo, me pari felicitate Romæ post trium mensium moram in lectulo ductam ante septem annos, ut tradidi in Tomo altero ejusdem Operis, ex hoc ipso morbo, quo nunc tentari mihi contigit, convaluisse; idque profecto Günzianam sententiam non probabillem tantum, sed certam reddere posse videtur. Vale.

Brixia die III. Decembris an. MDCCIL.

P. S. Pro concludenda emtione, de qua superius, privatis literis tecum agam; vereor autem plures ex illis 4000. Dissertationibus extare jam in mea Bibliotheca, quam rarioribus hujuscemodi cupediis rogatu meo ditare suscepit terque quaterque per singulos annos Vir Cl. Schelhornius, Bibliothecarius Memingensis, in eandem pretio dignoscendo utique peritissimus. Vix credo inter illas omnes, quas seu possideo, seu venales offert amicus tuus, ullam reperiri posse adeo infulsam, adeo absurdam, ac Epistolam Kieslingii, quæ meæ isti argumentum ministravit, quaque ille nil aliud sibi proposuisse videtur, nisi ut extra chorum saltaret, nisi ut aërem verberaret. Iterum vale.

IX. MO-

IX.

MONITUM.

Nihil superest addendum præter ultimas meas ad Emin. Cardinalem litteras, quibus summatim complexus sum omnia de quibus in præcedentibus scriptis actum est. Cum autem hæ litteræ Gallico idiomate scriptæ fuerint, eas hic in Latinum conversas dabo.

EMINENTISSIME DOMINE.

TIBI satis compertum est viro publicis muneribus fungenti tempus aliquando deesse. Itaque spero fore ut mihi ignoscas, quod ab aliquo tempore Epistolicum commercium, quod benigne mihi concessisti, neglexisse videar. Nunc autem id mihi incumbit, Eminentissime Cardinalis, ut TIBI maximas agam gratias, 1. ob Epistolam alteram typis impressam, cui nomen meum præfixisti; 2. ob alterum Volumen Commentariorum Vitæ tuæ, quod Opus dum lego, ejus continuationem semper desidero, finemque reformido; 3. denique ob Epistolam ad Clar. Menckenium datam, quam mecum communicasti, & quæ heri in manus meas pervenit.

Ut ab hac ultima exordiar, TIBI dicam, Emin. Dom. Kieslingianam, ut ita dicam, excursionem in nostram Controversiam mihi quoque miram videri, imprimis cum, TE judice, ab æquo & honesto aberaverit. At cum ejus Scriptum perlegendi occasio hæctenus mihi defuerit, judicium meum cohibeo.

Venio nunc ad occasionem alterius Epistolæ typis impressæ, qua me dignatus es. Id pro certissimo habere ut velis, rogo TE, Emin. Dom. me in eorum numero non esse qui litigant tantum ut litigent, & per fas aut nefas inclarescant. Veritati unice litandi animus est, ejusque sola defensio me impulerat ad calumum arripiendum. Nonnulla sunt in quibus Eminentissima Tua Dominatio mecum sentit. Inter quæ
illud

illud est maximi momenti, quod Ecclesia summopere indiguerit Reformatione, eo tempore quo Reformatores nostri hoc opus in se susceperunt. Tam effrænata erat excessuum licentia, ut ipsi Auctores vestrarum partium erumpant in querelas perpetuas contra horum temporum superstitionem & corruptionem. Licet ergo Cardinales Luthero coævi æque apti & idonei fuissent ac ille ad Ecclesiam reformandam; certum tamen manet eos ab illo labore abstinuisse, atque Luthero, Calvino, Zwinglio &c. deberi, quod non tantum Ecclesia nostra, sed & vestra gaudeat eoluminis augmento, quod apud eam nunc extat. Vestræ Communionis fautores apprime senserunt quam merito plurima ipsis exprobrarentur, pudore tacti fuerunt; & hinc hodie apud illos non amplius conspiciuntur superstitiones quædam crassæ, quibus vere deturpabatur Ecclesia Romana in sæculis ignorantia. At quod Reformatores nostri, lollium evellendo, simul triticum perdiderint, quod puritatem Doctrinæ Evangelicæ corruperint ac fœdaverint, id nec Tu, Eminentissime Domine, nec quivis alius unquam vel probavit, vel probare valebit.

Ob oculos semper habeo nostræ Controversiæ originem, & in quo vere consistat status Quæstionis. Queritur nempe, quinam sint anteponendi, Cardinales, aut Reformatores, respectu istius studii, quod vocatur *Studium Biblicum*. At cum bona Eminentia tuæ venia, nec prioris, nec alteræ Epistolæ tuæ argumenta, Thesis tuam demonstrant. In eo semper versaris, ut ostendas Cardinales lectionem Scripturæ Sacræ amasse, viros Litteris operam dantes eorum favorem ac protectionem expertos fuisse &c. at inde minime censequitur propria eorum, ac realis doctrina. Doctus quidam Tigurinus, ante aliquod tempus, ad me scribebat, ipsum in se demonstrandum suscipere plures longe in Schola Tigurina tempore Reformationis ad Studium Biblicum extitisse aptos, quam in tota qua patet Italia &c.

Et

Et quandoquidem Tiguri mentionem hic injicio, accurate inquisivi in naturam & valorem testimonii, quo usus es, Emin. Dom. in Tua Dedicatione *In-cognita Litter. Austr. Soc.* & innotuit mihi primo, hoc testimonium verbis non prorsus iisdem * expressum esse, ac TIBI relatum fuerat; & secundo ejus Auctorem eum non esse, cujus judicio multum tribui debeat, nec quem Viri apud Tigurinos auctoritatem vel eruditione pollentes suffragio suo tueri vellent. Telum illud potest ergo pro irrito haberi; testis ab Eminentia Tua allegatus, summo jure potest recusari.

Ex his omnibus abunde patet, materiam nullo modo deesse, unde nova Scripta in quaestionem inter nos agitatam, conficere possem; at cum Veritas hactenus inconcussa maneat, ab illis supersedeo.

Ægerrime autem ferrem, si quid in tota serie hujus Controversiæ existeret, quod pretiosam Tuam erga me benevolentiam ullo modo minuere posset; quin potius Te, Eminentissime Domine, instanter rogo, ut mihi favere pergas, grataque habeas vota, quæ fundo, ardentissima, pro Tua perenni incolumitate in Novo Anno mox incipiendi, & in plurimis ipsum secuturis,

EMINENTISSIMI NOMI-
NIS TUI

BEROLINI —
d. XXI. Dec. MDCCXLIX.

humillimus cultor
SAMUEL FORMEY.

* Hic locus est ipsissima verba apponendi. Wir halten dafür, Luther habe eben recht genug Wiß und Gelahrheit besessen zu dem Werk, das er unternommen. Hätte er mehr gehabt, würde er dasselbige vielleicht haben liegen lassen: hätte er minder gehabt, so hätte er es nicht ausführen können. Freymüth. Nachr. am 19 März 1749. p. 93. in fine.

F I N I S.

2
No 2875
S

X 1289910

IV

Tilgung





Inches
Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

IAE
 FORUM
 IS
 ERI
 A
 TIONES
 RDINALI
 RINI
 AS
 ORMEY
 .ACAD. BORVSS
 AD. IMPER.
 LIS.



VIADRUM, *h*
 TIAN. KLEYB.